IO. ANTONII VIPERANI DE DIVINA PROVIDENTIA LIBRI TRES.

AD S. D. N. SIXTUM V. PONT. MAX.



ROMAE,
Excudebat Franciscus Zannettus.

PERMISSU SUPERIORUM.

SIXTO V. PONT. MAX.

IO. ANTONIVS VIPERANVS S.

QVI de Deo quæsiuerunt B.P. esset nec ne, ac qualis esset, etiam de diuina prouidentia disputarunt, num mundum gubernaret, atq; humanis rebus cōsuleret. Et de Deo quidem tum naturales philosophi, vt de motionis omnis principio, primoque mouente, tū Theologi, vt de simplici, & æterna mente, atque omnium causarum principe disseruerunt. Cæterùm qui diuinam prouidentiam negarunt, omnem religionem ex hominum cœtu sustulerunt impij, scelesti, atque nefarij. qui verò Deum res humanas curare dixerunt, ij nos ad pietatem, sanctitatem, & iustitiā informarunt. Nec solùm piè, & religiosè uiuit, qui sibi persuasum habet res humanas à Deo curari: verùm etiam omnia, quæ sibi accidunt, moderatè fert, neque in secū-

dis rebus exultat, neque aduerſis frangitur, quoniam à Deo ſibi euenire omnia credit; & in diuina voluntate conquieſcens, nullis perturbationibus afficitur. Itaque ſedato, & tranquillo animo viuit. qua animi tranquillitate nihil ab homine optari melius poteſt. Quamobrem contra negantes diuinam prouidentiam, quam græci πρόνοιαν appellant, ego diſputationem inſtitui mihi quidem ad tranquillè viuendum aptam, alijs, opinor, non inutilem, qui religionem, & iuſtitiam colunt. Quam diſputationem cui potiſſimè dicarem, diu mecum animo cogitaui: tandem tibi Pontifex maxime dicandam cenſui; quippe quem habeo diuinæ prouidentiæ grauiſsimum, & certiſſimum teſtem. Nam Vicarius Chriſti ſanctam Eccleſiã, quam Deus ſingulari cura, et beneuolentia tuetur, diuina authoritate, et cæleſti afflatu regis, atque gubernas, cum ſummis viris tum iuſtitia, tum animi, atq; operum magnitudine comparãdus, ſingulare veteris, et egregiæ virtutis exẽplar. Quòd ſi fortè Beatitudini tuæ viſus aliqua in re fuero nimiùm audax, quæſo ignoſcas huic audaciæ: quam mihi non vlla impudentia ingenuit, ſed religionis, et doctrinæ ſtudium attulit.

IO. ANTONII VIPERANI DE DIVINA PROVIDENTIA LIBER PRIMVS.

Quòd religio sit hominis propria, & naturalis, dicta à religando: quæ etiam pietas vocatur. Cap. I.

VIR sapientissimus Plato Græcos eos meritò reprehēdendos putauit, qui de Deo nihil quæri volebāt esset nec ne, ac qualis esset; num etiam mundum gubernaret, atq; humanis rebus prospiceret: quoniam remoto pietatis studio, & extincto diuini numinis metu, ad omne scelus, atque flagitium homines concitarentur, & perfringeretur humanæ societatis coniunctio. At verò Deus homini non solùm rationem dedit, qua vera à falsis, & à malis bona discerneret, verùm etiam sui notionē inseruit, vt cæleste numē, in quo sita omnis felicitas est, veneraretur, ac coleret; eiusque vel pudore, vel metu à malefactis abstineret, neque ingenio, mentisque solertia malè ad vllius incommodum, & perniciem vteretur. Quòd si homo nullā Dei potestatē timeret, nō tam corporis, quàm ingenij viribus nixus efferacior feris euaderet; sicut feræ, si rationem nactæ essent, fierent seipsis immaniores. Quare vt cæteris animantibus homo sapiētia,

tia, hoc eſt, rerum diuinarum ſciẽtia præſtat; ſic, ſi Deum ignorauerit, aut eius authoritatem, maieſtatemq; contempſerit, omnibus animantibus inferior fuerit, quia omnibus deterior erit. Nec profectò à brutis homines magis ratio, quàm religio diſtinguit. nam in quibuſdam brutis manifeſta quædam rationis, & prudentiæ veſtigia cernuntur, vt in illis rationem ineſſe docti quidam viri ſuis ſcriptis tradiderint: religionis verò nulla omnino ſuſpicio ineſt. Atque hoc ex ipſa corporis figura conijci etiam poteſt: quoniam ad cæli conſpectum homo erectus eſt, vt cæleſte numen agnoſcat, & colat; belluæ verò in terram totæ proiectæ ſunt; quippe quibus nulla ineſt rerum cæleſtium cognitio, & cura. Quòd igitur religio naturalis homini ſit, ex hoc liquet; quoniam Dei notio eſt in omnium animis inſita. Dei autem cultus ipſa religio eſt. neq; eſt vlla tam immanis, & effera gens, quæ nõ Deum aliquem eſſe ſentiat, cuius imperio rerum vniuerſitas adminiſtretur. Atqui omniũ hominum conſenſus ſemper idem, & ſibi conſtans, naturæ vim quandam omnium hominum animis innatam indicat: ita vt omniũ conſenſum reprehendere, ſit naturam ipſam euertere. Quamobrem ſummus ille iurecõſultus Pomponius religionẽ in iure gentium ponit, quod in omnium hominum mentibus ipſamet natura inſcripſit. Eſt autem homini à Deo idcirco inſita religio, vt parentem ſuum, & dominum diligat, & obſeruet; ac vitæ communionem cum alijs tenens, ſine quibus viuere non poteſt, immortalitatem aliquando cõſequatur. Itaque religio eſt, qua cum alijs benè viuimus, & cum Deo ipſo coniungimur. ex quo nomen accepit: quoniam eius vinculo Deo obſtringimur, & religamur. Proinde ſublata religione, cultuque diuino, nihil nobis cum Deo rationis, nullaque beneuolentia, & charitas erit. Appellatur etiam religio pietas: quæ grata in parentes voluntas eſt. At Deus eſt omnium parens, qui res omnes ſolo verbo creauit, &

ſum-

summa charitate fouet, atque incredibili sapientia gubernat. Cui erga Deum pietati opponitur è regione impietas: quæ aut negat esse Deum, aut eius cultum, & religionem despicit.

Quòd religiones fictæ hac naturali Dei notione nitantur: quodque vna sit vera religio Christiana. Cap. II.

NEC verò si quæ ab hominibus fictæ religiones sunt, ideo religionis vis nõ à Deo ingenita in homine est. Nam si rectè causam aduertas, cur rerump. rectores religiones finxerint, cognosces esse in hac de Dei numine, & cultu nõ aliorum sermonibus creata, sed naturæ quodam munere in hominũ animis insita persuasione fundatas. Nam quia fundamentũ humanæ societatis est iustitia, sine qua nulla domus, nulla ciuitas regi potest; nec potest iustitia sine metu seruari, quo à malefactis hominum ingenia coërceantur; metus quidam proponendus fuit superioris cuiusdam potestatis, quam omnes æquè timerent. Huiusmodi potestas nullius hominis esse potest; quandoquidem omnium hominum eadẽ est naturæ cõditio; sed eius, qui longè omnibus excellit, & imperat: quique non tantùm corporum figuras fingit, verùm etiam motus animorum, viresque componit. Is autem est Deus parẽs, & moderator vniuersorum. Reges verò, & Imperatores non hominũ animis dominantur, sed dumtaxat externarũ actionũ iudices, & animaduersores sunt, diuinæ maiestatis ministri; à qua potestas omnis emanat. Nec Deus timeretur, nisi crederetur præsens vbique esse, & nostras non solùm actiones, sed etiam cogitationes inspicere, ac cuiusque benè, aut malè factis præmia, pœnasq; decernere. Quamobrem si diuinæ potestatis metus iustitiã tuetur, etiam societatem hominum conseruat: quam suis æquis, & magnificis mune-

neribus iustitia continet. Vnde Plinius quamuis esse Deum negauerit, tamen Dei metũ ad regendos hominũ cœtus vtilem esse confessus est: & Aristoteles licet cuipiam visus sit de diuina prouidentia dubitasse, tamen ad remp. benè administrandam dixit esse necessariam religionem; quòd nulla ciuitas diu stare possit, in qua ciues nullum numen cæleste formident. Ideoque Romanorũ resp. præ cæteris floruit; quia præ cæteris religionem coluerint: quibus persuasum erat diuinum cultum ad reip. incolumitatem, & ciuium salutem plùs facere, quàm de hostibus partas victorias conferre. siquidem religio rectè animum instruit, & ad benè viuendum hominem informat, virtutum officia describens. Opes autem, & imperia non meliores homines reddunt, sed sæpe insolentiores, & peiores efficiunt. Ac certè quò quisque sapientior est, eò magis religionem colit. Prima enim, & summa sapientia est Dei cognitio, & amor. Quid autem homini potest hac sapientia melius, optabiliusque contingere? Igitur qui sapit, religionem colit, qua cum Deo coniungitur. quam qui neglexerũt, si hebetes, pecudibus similes effecti sũt; si ingenio valuerunt, dolosi; & si cum ingenio potentiam, & opes obtinuere, crudeles, & inhumani fuerũt. Atque vt perfectus homo, cuius animi partes omnes rectè compositæ sunt, omnibus animantibus excellit; sic homo impius, Dei pariter, & hominum contemptor, omnium brutorum pessimus existit. Quamobrem, vt ad propositum redeam, si quæ religiones fictæ sunt, eæ vim, & robur ex insita homini de Deo, Deique cultu persuasione ceperunt. verùm quia fictæ, Christi doctrina dissolutæ sunt; sicut adueniente luce tenebræ euanescunt. Delet enim veritas commẽtum. Christus etenim verum Deum hominibus ostendit, & religionem veram instituit. Quòd si religio est Dei cultus, certè veri Dei cultus est ipsa vera religio: atque vt non omnes verum Deum cognoscunt, sic ne-

que

que omnes veram religionem ſuſcipiũt. Nec nobis demonſtrare verum Deum poterat mortalis homo, qui nulla cogitatione, & ratione vim, & naturam Dei comprehendere poteſt; ſed ipſius Dei filius factus homo Chriſtus Ieſus ipſe nobis verum Deum propoſuit, & ad eius beneuolentiam, atque charitatem adduxit. Quare vna Chriſtiana religio vera eſt, quæ veram ſapientiam ſpectat: quæ in Dei veri cognitione, & amore conſiſtit.

Quòd religionem, & iuſtiitam tollunt, qui diuinam prouidentiam negant. *Cap.* III.

CÆTERVM religionem omnem, & iuſtitiam tollunt, qui diuinam prouidentiam negant. Nam ſi res humanæ Deo curæ nõ ſunt, cur illi cultum vllum, & preces adhibemus, a quo nec exaudiri nos, nec iuuari poſſe ſperamus? Cur templa ædificantur? cur ſacrificia fiunt? cur munera offeruntur, ſi mens diuina his rebus non tangitur, neque hominis pietate mouetur? Quòd ſi bonum, & religioſum virũ Deus non amat, neque prauum, & impium hominem odio habebit. Quare neque huius peccata puniet, neque illius benefacta remunerabit, nec vitijs infenſus, nec virtutibus gratioſus. Tollitur igitur religio, ſi diuina prouidentia tollitur: quia ſi nihil ad nos boni ex diuina benignitate peruenit, nullus cultus, nullumque pietatis officium a nobis vnquàm Deo tribuetur. Extincta religione, perit etiã iuſtitia, quæ ſine Dei metu nulla omnino eſt. Nam ſi Deus res humanas deſpicit, prauorum hominum peccata non puniet: impunitate propoſita, quod eſt tam improbum, tam nefarium facinus, quod homo non audacter admittat, vt aliis dominetur, & imperet? Et quò quiſque robuſtior, & valentior erit, hòc magis alios premet: nec pro gentium iure, ſed pro libidine potentiorum res humanæ geren-

tur. At scriptas leges, & sancita malis supplicia dices ad improborum hominum vim, audaciamq; frænãdam: sed istas ab hominibus scriptas leges quis nescit tamdiu vim habere, quamdiu authoritate diuina fulciuntur? Non enim dominari hominum animis potest, nisi vis quædam cælestis, atque diuina. Ideoque legum latores quas leges suis populis sanciuerunt, eas se à diuina quadam mente accepisse testificati sunt: vt diuina fide corroboratæ nulla hominum vi, & peruersitate confringerentur. Quòd si homini persuasum fuerit Deum nec quæ à nobis fiunt cernere, nec cuiusque mẽtem, & animũ inspicere, neque nostrarum actionum, & cogitationum iudicem, & animaduersorem esse, profectò semper omne scelus, atque flagitium animo tractabit, quo suas immensas, infinitas, immoderatas cupiditates expleat. Timor verò pœnarum, quæ malefactis à legibus decernuntur, absque diuinæ potestatis metu, tunc solùm mouet, cùm cælari factum non potest: non autem animum ad benè, & iustè viuendum afficit. Quod in prauis, & sceleratis hominibus cernitur: quos timor legum non meliores efficit, sed à perpetratione facinoris tantummodò cohibet, dum credunt facinus occultari non posse. Quamobrem si sine Dei metu nulla religio, nullaque iustitia est, qui diuinã prouidentiam negant, omnem religionem, & iustitiam delent, omnem inquam, & aduersus Deum pietatem, & aduersus homines æquitatẽ: inter quos est naturalis vitæ communitas, atque coniunctio. Itaque diuinam prouidentiam negantes magna vitæ perturbatio cum magna veritatis ignoratione sequitur, & ciuilis vitæ status euersio, & totius societatis humanæ dissolutio. Iure igitur rerump. custodes, atque rectores inprimis religionis rationẽ coli voluerunt, vt diuini numinis iniecto timore hominũ ingenia deprauatæ naturæ vitio ad voluptates procliuia tanquã fræno à peccandi licentia cohiberentur: & iustitiæ munera integrè seruata hominũ societa

cietates,atque coniunctiones munificè tuerentur.Et rectè quidem eos,qui vel esse numen diuinum negant,vel Dei cultum,religionemque contemnunt,impios appellare solemus, quòd vniuersorum parenti, & moderatori nullum honorem habeant; cui propter īgentia beneficia, quæ homini præ cæteris animantibus contulit,maximũ habere deberēt. Est porrò Deus pater,& dominus omniũ;à quo vniuersa procreata sunt,atq; reguntur. est pater,quia nobis cũcta bona largitur:est dominus,quia potestatem in malos animaduertendi habet. Quòd si Dei filii,& serui sumus, debemus ipsum vt patrem amare, vt dominum vereri: ac summa pietate diligere, quia summus parēs;& summa veneratione colere, quia summus dominus est:à quo sanè est omnis in cælo,& in terra paternitas, atque potestas. Hæc equidem summa est mentis,& animi prauitas procreatorem suum, & dominum non agnoscere; atque agnitum non sanctè, ac piè colere, & venerari. Atque hoc valde miror, quòd cum res nulla sit,quæ impressam opificis sui notam non retineat, solus homo, cuius causa res omnes cõstitutæ sunt, libenter falsas de Deo sententias, & prauas opiniones imbibat. Quantum hoc ingrati animi argumentum est, vitæ,ac salutis suæ authorem deridere, atq; contemnere?Quam impietatem vnde profectam putem nescio,an à superbia,& arrogantia, qua elatus homo propria ducit bona, quæ habet, non illi refert accepta,à quo accepit?an a luxuria, quæ est vitiorum omnium procreatrix, atque à vitæ licentia,vt reiecto religionis freno, quò libido voluptatum impellat,effrænatus huc, illucq; feratur?Dixit enim insipiens in corde suo,non est Deus.cur Psal.52. aut hoc dixit?nempe vt peccandi licentiam liberam habeat. Vellent scelerati homines aut non esse Deum, cuius vim, & imperium reformident; aut cæcum esse, qui eorum mala facinora non cernat; aut impotentem, qui non possit;aut iniquũ,qui vindicare penitus nolit.Itaq;

maxima summi Dei maiestas, qua vniuersa continentur, in tantam homini non solùm obliuionem, sed etiam contemptionem venit, vt quæ sola metuenda est, ea potissimè negligatur. Verùm si homines rationem sequerentur, Deum agnoscerent, pietatem colerent, iustitiam seruarent.

Qui, & cur diuinam Prouidentiam negarint. *Cap.* IIII.

SED contra eos, qui negant Deum humana curare, disputandum mihi est, vt inanem philosophorum sapientiam redarguam, & piorum hominum in aduersis rebus animos spe rerum meliorum soler. Primi autem omnium diuinam prouidentiam sustulerunt ij, qui nullum Deum esse putarunt, Diagoras Melius, Euemenes Thegeates, & Theodorus Cyræneus, dicti ob hoc à græcis ἄθεοι. quorum dementiam, ne plerosque alios commemorem, amplexus est Lucianus ille Samosatenus, hominum, & Deorum irrisor. Plerique etiam ambiguum habuerunt, esset nec ne Deus: vnde etiam de diuina prouidentia dubitarunt. Inter quos recensetur Protagoras Abderites, Socratis temporibus: sed eius dubitatio pœnam apud Athenienses luit. nam (vt Cicero refert) vrbe, atque agro exterminatus est; eiusque libri in concione combusti. Nonnulli Deum esse concedunt, sed diuinam prouidentiam negant, vt Epicurei; qui Deum animantem fingunt, sensu præditum, atq; corporeum, humana specie, ac figura, bonis omnibus affluentem, nullis occupationibus implicatum: probantque eum nil agere, ne beatissima ipsius vita cogitatione vlla, vel labore impediatur. Sic enim Lucretius Epicureus,

De nat. Deorum lib. 1.

Omnis enim per se Diuum natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,

Semota

Semota à nostris oculis, seiunctaque longè;
Iam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus.

Probāt præterea Deum nullo modo res nostras aspicere; quòd eius animum in iram plurima hominum, & fœdissima scelera concitarent. non autem decere diuinum animum commotione turbari. Vnde quia contra malos ira Deus non mouetur, neque aduersus bonos gratia mouebitur. Itaque ne Deo vitium tribuant, etiam virtute illum priuant. Quare nec vitiorum, neque virtutum hominum vllam habens rationem, quam nostri curam habebit? Hoc sanè est, quod inquit idem Lucretius,

Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Atque hoc ipsum eo confirmant argumento, quòd res secundæ prauis hominibus, aduersæ bonis eueniunt. id quod minimè accideret, si Deus nostrorum animorum, & actionum inspector, & iudex esset. Ij sanè, qui esse Deum concedunt, sed negant ab eo mundum administrari, verbis quidem ipsum relinquunt, re verò tollunt. Quidam contra, atque Epicurei, Deum non corporeum, sed expertem omnis corporis, & concretionis esse asseuerant, mentem quandam æternam, simplicem, & indissolubilem: verum eius vim, & facultatem certis quibusdam finibus describunt, vt nec rebus omnibus consulat, nec totius mundi, sed partis cuiusdam, quasi alicuius prouinciæ, videlicet cælestis regionis curam sustineat: atque illi certum locum assignant, nempè cælum: negantque his eum rebus prospicere, quæ sub cælo sunt; seu nos velle, aut posse iuuare. Sic Auerroes, quoniam scribit Aristoteles Deum in cælo esse, ipsum in estimo cælorum orbe collocat; asseritque nec facultatis, nec maiestatis eius esse nostrarum rerum procurationem vllam habere. Quare cum diuina prouidentia

Physic. 8. & De cæl. 1.

dentia religionem extinguens impietatis crimen incurrit. Sunt etiam è Peripateticis, qui affirment Deum quæ facit non sponte, & libere, sed innata vi facere, nec ratione, & voluntate, sed naturali quadam necessitate moueri: sicuti nullo consilio, tantum naturæ suæ vi, ac nutu grauia deorsum, leuia in sublime feruntur. Proinde illum consilio, & prouidentia priuant. non enim opus est consilio in rebus, quæ necessariò eueniunt: atq; vbi nullo consilio est opus, ibi nec vllus est prouidentiæ locus. Et quidem Aristoteles originem mundi, immortalitatem animæ, diuinam prouidentiam in dubium vocasse videtur. quapropter Ælianus scribit Aristotelis philosophiam homines impios efficere. Ad horum sententiam proximè accedunt, qui mundum gubernari volunt à natura, hoc est, communi vi quadam, quæ in corporibus absque vllo consilio ex se necessarios ciet motus; habetque gignendi, augendi, mouendive causas, ipsa omni sensu, & figura carens. Quam communem vim Deum esse confitētur. In horum numero est Strato, is, qui Physicus appellatus est, Theophrasti auditor, & Plinius, qui rerum naturalium historiam scripsit. Itaque Deum faciunt consilii, & rationis expertem, temere vniuersa gignentem, atque mouentem. Atqui omnis artifex eius operis, quod facit, rationes percipit. Quod si naturam vim esse vellent participem rationis, atq; ordinis, meantem per omnia, legesque rebus omnibus præscribentem, nullius imperio subiectam, sed ipsam singularum rerum omnium naturis imperantem, tunc naturæ nomine numen diuinum designarent, à quo cuncta procreantur, atque reguntur. Non aliter Seneca disciplinæ Stoicæ studiosus, & fautor, Deum & naturam idem esse censet: atque ex diuersis rebus, quas gignit, & ex diuersis beneficijs, quæ humano generi facit, varia cognomenta sortiri. Ac porrò Stoici duas naturas constituunt, efficientem, & materiam; Deum, & ipsius opus, mun-

Lib. 3.

De Bene. lib. 4. cap. 7.

mundum. Cur autem communem hanc, præstantissimamque vim malint naturam, quàm Deum vocare, non video: cùm Dei nomen nullius aures aspernentur: Deum verò naturam vocare permulti nō audeant; quòd à nullo natus sit, semper æternus, & immortalis. Præterea cum his, qui nihil diuina mente fieri aiunt, consentiunt ij, qui omnia fato fieri volunt, vt Stoici, & cum Stoicis Democritus, Heraclitus, Empedocles, ac permulti alii, quorum superuacaneum est nomina recensere. Fatum verò vocant stabilem, & immutabilem cælestium causarum ordinem, atque seriem: à quarum continuatione, & connexione cuncta necessariò fluant; ita vt ne à Deo quidem ipso mutari queant. Itaq; prouidentiam Deo, & nostrarum actionum facultatem nobis eripiunt: quia nulla ratio, nullum consilium, nulla electio valet, vbi necessitas adest. Istorum omnium philosophorum mens, & consilium fuit, dum diuinam prouidentiam eiecerunt, vt hominis animum omni metu, & religione liberarent; atque ipsi peccandi licentiam liberam inuenirent. Ideoque Philosophi sapientiam professi, stultitiam docuerunt; dicentesque se esse sapientes (vt D. Paulus ait) stulti facti sunt. Rom. 1. Plerosque non solùm Epicureos, sed etiam veritatis cultores humanarum rerum incōstantia, & piorum hominum aduersæ res, impiorumque secundæ interdum impulerunt ad credendum Deum res humanas negligere, quòd cæteroquin foret iniustus, si res bonas, malasq; inter nos ipse diuideret: quæ nullo æquo iure distribui videntur. Hinc nimirum est, quòd Deam quandam effinxerunt varietati amicam, insanam, cæcam, atque volubilem; quæ res humanas regeret: eamq; fortunam appellarunt.

Quo

Quo modo, & quo ordine contra istos procedet disputatio. Cap. V.

AD istorum nos sententias respondebimus, & rationes refellemus, ac planum faciemus vniuersitatem rerum Dei mente, & consilio administrari: & potissimam rerum humanarum curam geri: vnde religionem tueri, ac moderationem vitæ, & constantiam in aduersis, prosperisque rebus tenere docebimur. Ac contra philosophos agam argumentis, quæ ex ipsorummet libris, monumentisque depromam. Nam veritas in illorum scriptis contra ipsorum voluntatem se ipsa prodit: quæ nõ ab hominibus, sed a spiritu sancto est. Et cũ veri Dei cultoribus vtar sacrorum voluminum testimonijs: quæ sunt quibusuis argumentis philosophorum potiora. Claudunt enim sacræ literæ ipsiusmet Dei olim per prophetarum, tum per vnici filij sui, post per apostolorum ora expressam mentem, & verba: philosophorum verò ingenia sunt inter se diffidentia, atq; in innumeris erroribus, ac plurimarum rerum ignoratione versantia. Cùm etenim nostra cognitio a sensibus oriatur intelligentiæ nostræ ministris; nec res vlla sensibus obiciatur, quæ Dei vim omnem, & naturam exprimat, Dei cognitio, quam ex procreatis rebus accepimus, obscura, & imperfecta est. Proinde vt certam, & veram aliquam Dei cognitionem assequeremur, enunciatione diuina opus fuit. Quamobrem quæ de Deo ab hominibus tradita sunt, vel falsa, vel obscura sunt, neque vllum fundamentum, & firmitatem habent: quæ verò diuinis explicantur oraculis, ea indubitatam fidem habent. Et quis de Deo veriùs, & meliùs loqui potuit, quàm ipsius Dei filius factus homo Christus Iesus, qui in sinu patris est? Explicuit autem nobis ea, quæ ad comparandam salutem cognitu necessaria sunt: quæ verò non necessaria, vel

vel curiosa sunt, reticuit. Quòd si è diuinis multa nos fugiunt, hoc ob incredulitatem nostram accidit. Ex sacris igitur libris diuina sapientia cognoscitur: neque in bonorum, & piorum animis dubitationis quicquam relinquitur, quibus rerum diuinarum fidem maximam facit sermo ipse diuinus, grauissimum, atq; incorruptum, & integrum testimonium veritatis. Et irridendi sunt philosophi, qui sacra scripta irrident, quòd careant orationis ornatu; neque argumenta contineant, qualia philosophia excogitauit. Non enim decebat Deum rationes hominibus reddere eorum, quæ loquebatur; sed vt dominum, & imperatorem, quæ sciri, & seruari volebat, simpliciter, & apertè pronunciare, & præcipere. Siquidem authoritatem maximam habet ipsa diuina persona. Omni autem fuco, & orationis illecebris carere sermonem suum Deus voluit, cùm ob maiorem grauitatem, quia veritas simplex multum ex se ipsa venerationis habet; tum vt omnibus clarus, & perspicuus esset. Quamobrem sacra scriptura, quæ cælestem sapientiam, non commenta hominum docet, quæq; nec opiniones, neque spes nostras fallere potest, semper verax, & sibi constans, nobis erit omni philosophorum doctrina, & sapientia potior. Atque huic nostræ de diuina prouidẽtia disputationi satisfactum iri putabimus, cùm demonstrauerimus esse Deum, & vnum tantummodò Deum; ac mentem esse non corpus; habentemq; excellentissimam omnium, præpotentissimamq; naturam, liberam, & solutam, nullius imperio, nulliq; naturæ, aut necessitati subiectam, omnia complentem, omnia continentẽ: omniumq; maximum authorem esse, ac sapientissimum, optimumq; rectorem.

Quòd ſit Deus. Cap. VI.

ESSE verò Deum non alia poſſumus ratione probare, quàm aut ſacrorum librorum authoritate, aut argumentis, quæ inueniuntur ex rerum procreationibus, atque naturis. Non enim vlla cauſa reperiri poteſt, quam aſſumamus ad probandum eſſe Deum: quia nulla eſt eius origo. Verumtamen poſſumus authorem ipſum indagare procreatarum rerum veſtigijs, & ſolertia quadam mentis odorari: quemadmodum
Rom.1. D. Paulus inuiſibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta eſſe teſtatur. Sed vt in demonſtrando eſse Deum recta procedamus, tenebimus, quod in tractanda quæſtione an ſit logici fieri iubent; nempè, vt explicata vi verbi, quod in diſputatione verſatur, è ſimplici compoſitam quæſtionem faciamus. Exempli cauſa, ſi quæratur an ſit inane, primùm quæ ſit huic verbo inane ſubiecta vis exponam; deinde vbi expoſuero inane eſse locum, qui nullũ corpus continet, quæſtionem componã ſic, an ſit locus, qui nullum corpus contineat. quem ſi docuero nullum eſse,
Lib.1. De Fide.cap.12. ſatis probauero inane non eſse. Igitur hoc nomen Deus a græco θεός ductum videtur. quod (vt Damaſcenus ſcribit) vel ab αἴθειν, quod eſt accendere; vel a θέειν, quod eſt percurrere; vel a θεᾶσθαι, quod eſt cernere, dictum volũt. Quare naturam quandam illuſtrantem vniuerſa, meantem per omnia, ac cuncta cernentem ſignificat. Ex quo plures quæſtiones eòdem pertinentes licet componere: An ſit aliqua natura, quæ omnium præſtantiſſima ſit? quæ omnia regat? quæ ſit omnium rerum prima, & immutabilis cauſa? Quòd autem princeps quædam cauſa, & natura præpotens, atque excellens exiſtat, ex ipſa mundi pulchritudine, vtilitate, adminiſtratione oſtendere poſsumus. Pulchritudo quidem mundi in abſolu-

tissima figura, in immensa magnitudine, in ipsius partium admirabili connexione, & ornatu cernitur. Etenim mundus rotundus est, atque globosus: qua figura nulla est pulchrior, nulla capacior, nulla ad motum commodior, nulla ad durationem aptior. Nam globus, græcè sphæra, omni parte leuis, & æquabilis nihil asperitatis, nihil habet offesionis: cuius partes omnes inter se quamsimilimæ sunt; tantumque a medietate abest extremitas, quantum ab extremitate medietas. Quæ quidem figura cæteras figuras complexu suo coërcens, ac nulla parte angustata maximè omnium capax est. Est etiam maximè mobilis; quia partes eius omnes inter se aliæ alijs nixæ facilimè voluuntur. Sed neque cælorum motus in alia figura seruari posset, quàm globosa; vt Astronomiæ periti docent. Ac quia partes omnes æquales ipsæ per se sunt, atque inter se iunctæ cohærent, mundus stabilis, & permanens est. Quanta verò sit eius magnitudo ex hoc nobis licet suspicari, quòd terra, quæ nobis amplissima videtur, ad summi cæli complexum quasi puncti instar obtinet. Idque nobis ex eo persuaderi potest, quòd stellarum eæ magnitudines sunt, vt terræ magnitudinem superent: ipsæ verò stellæ, si cum vniuerso cælo conferantur, quàm paruæ sint videmus. Iam ipsarum mundi partium inter se connexionem, & quasi conspirationem intueamur. Harum vna cælestis est, & immutabilis: altera mutabilis, & dissolubilis; in qua ex quatuor initijs varius fit ortus rerum, atque interitus. Illa nouem cælorum globos coërcet: quorum extimus ijsdem semper spatijs ab ortu in occasum conuertitur, ac xxiv. horis cursum conficit celeritate incredibili; suaq; conuersione secum reliquos orbes rapit: sed qui etiam motu proprio contra ab occasu in ortum dissimilibus spatiis conuersantur. E quibus, qui maximè abest a terra, stellis innumeris distinctus, ornatu admirabili fulget. quem notis nobis figuris descripserunt mathematici.

Atque hæ ſtellæ dicuntur inerrantes; quoniam iiſdem ſemper interuallis inter ſe abſunt; earumque conuerſio multis ſeculis conficitur. Huic cælo proximum globum poſſidet Saturni ſtella: quæ xxx. ferè annis duodecim ſignorum orbem luſtrat. Deinde eſt Iouis ſtella, quæ eundem orbem xij. annis peragrat. Infra hanc Martis ſtella duobus ferè annis conuertitur. Intermediam regionem Sol obtinet, cæterorum ſiderum moderator, & princeps: ac ccclxv. diebus, addita ferè quarta diei parte, curriculum ſuum abſoluit, quo ſpatio annum metimur. Solem vt comites conſequuntur Mercurij, & Veneris ſtellæ; quæ modò antecedentes, modò ſubſequentes Solem anno propè vertente ſigniferum orbem percurrunt. In infimo orbe Luna Solis curſum ſpatijs menſtruis conſequitur, omnium ſtellarum minima: ſed tamen (vt mathematicis placet) maior, quàm dimidia pars terræ. Quæ ſeptē ſtellæ vagæ, erranteſq; vocantur, quòd inter ſe vagis, incertiſq; ſpatijs diſtent. Sunt tamen omnium rati, & conſtantes motus, progreſſus, atque regreſſus: & ex diſſimilibus motionibus, tamquàm ex acutis, & grauibus quidàm quaſi concentus oritur; vt mundus (ſicut Pythagoras, & Plato exiſtimarunt) ad harmoniam canere videatur. Infra Lunam omnia caduca ſunt, & mortalia. Sunt enim quatuor initia rerum, è quibus omnia generātur, & in quæ diſſoluuntur, terra, aqua, aër, ignis. quorum media, & infima eſt terra, quæ non mouetur, & circùm eam cuncta voluuntur. Licetque elementorum naturæ ſint inter ſe diſſimiles, atque contrariæ, tamen quodam quaſi vinculo inter ſe vinciuntur, & copulatione quadam ad incolumitatem mundi coagmentantur. Ignis quippe calidus eſt, & ſiccus: cui potiſſimùm repugnat aqua frigida, & humida: verum inter ignem, & aquam medius aër, calidus, & humidus, illi calore, huic humiditate coniungitur. atque aqua media inter aërem & terram, aëri humiditate, terræ verò copulatur

frigidi-

frigiditate. quæ terra frigiditate, & siccitate aëri maximè contraria est. Et sunt elementorum naturæ ad renouationem mundi, & ornatum inter se ipsæ mutabiles. Siquidem ex terra aqua, ex aqua aër, ex aëre ignis oritur: deinde retrorsum eadem vicissim commeant; ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram se vertit. Itaque ex his naturis sursum, deorsum, vltro, citroque commeantibus rerum ortus perpetuus est: nec materia dissipatur, & interit, sed tantùm nouæ rerum formæ adueniunt, abeuntque. Sed neque vllus ortus rerum esset, ni cælum elementa inter se sua circumuectione misceret; ac Sol accessu, recessuque suo calorem, & frigus temperaret. Quocirca partes omnes mundi admirabili coniunctione sociantur, atque incredibili inter se necessitudine, & cognatione tenentur. Nunc mundi splendorem, & ornatum intuere, quemadmodum signis, & luminibus distinctum, ornatumque cælum refulgeat; vt terra consita arboribus, vestita herbis, coronata floribus, referta frugibus tanquàm omnibus lætitijs læta rideat; alatque varia bestiarum, ferarum, volucrum genera; multasque auri, argenti, cæterorumque metallorum venas, infinitamq; copiam marmoris in nostros vsus, decoraque concludat. Conspice montium altitudines, camporum immensitates, syluarum densitates, saxorum asperitates, gelidos fontes, lucidos amnes, virentes ripas; ipsum quoque mare modò vi sua tranquillum, modò vi ventorum agitatum, ac turbatum, innumerisque diuersorum generum piscibus plenum, atque fœcundum. Adhæc ventorum vires, & nubium magnitudines, & fulgura, & tonitrua, nimbos, niues, grandines, & quæ medio in aëre generantur, non sine maxima admiratione suspicimus. Tanta rerum varietas est, tantus ornatus, vt Græci, quem nos à munditie mundum, ipsi rectè ab ornatu κόσμον appellarint: quòd vniuersa rerum varia procreatione, fructuq; exornet. Cæterùm vtilitates, & opportunitates, quas ex

ipso

ipſo mundo capimus, perſequi longũ eſſet. Primò cælũ ſua motione rerum omnium, quæ gignuntur, ſemina tamquàm ſator, & parens excitat: ac Sol ortu ſuo, & occaſu diem noctemque conficit; inflectensque ad ſeptemtriones curſum, æſtatem; ad meridiem reflectens, nobis hyemes efficit; binasque in ſingulis annis reuerſiones ab extremo faciens, caloris, & frigoris modum temperat. Tum terra tanquàm mater ſemina cõcipit, cohibetque: mox tepefacta effundit; elicitque ex eis herbas, flores, fructus. Ipſa nos ſuſtinet, ipſa nos alit, ipſa nos fouet, ipſa nos occidentes ſuo ſinu excipit, ac contegit. Quis commoda, quæ ex aqua percipimus, referet? à qua cuncta oriri nonnulli voluerunt, quòd in humore maxima vis inſit procreationis? Quis quæ ex aëre, quo ſpiramus, & viuimus? Quis quæ ex igne? quando ſine calore nullus ſpiritus contineri, nulla res poteſt conſiſtere? In ſumma (ne nimium vager) omnes mundi partes ſic conſtitutæ ſunt, vt ad ſpeciem pulcherrimæ, ad vſum optimæ ſint. Quòd ſi nihil in his vanum, nihil temerarium, nihil fortuitum, ſed omnis veritas, ratio, modus apparet, neceſſe profectò eſt ab aliqua mente conſtituta eſſe, ac gubernari; quæ ſapientiſſima, & omnium naturarum præſtantiſſima ſit. Neque enim video quo modo tam variæ, diſcrepantesque naturæ inter ſe conciliarentur, ni à præſtantiſſima quadam natura coniungerentur: quoniam quæ naturis diuerſa, locis diſtincta, diſſipata, & contraria ſunt, congregari, & certo quodam quaſi fœdere colligari à ſe nequeunt; ſed ab eo, quod omnium dominatum, & principatum tenet. Nec ſi caſus aliquis tot res diſſimiles vnquàm conſociaſſet, diuturnior earum conſpiratio fuiſſet. Quo enim pacto conſeruaretur? Et vt in rerum ortu, & interitu temeritas aliqua valeat, quæ omnino abeſt, nulla tamen in ipſarum ſocietate, coniunctioneque valebit: vtque ipſarum copulatio ſapientia vacet, certè conſeruatio plena erit rationis, atque conſilij;

lij;

lij; quandoquidem omnis ordo, in quo magnum sapientiæ munus cernitur, non temerè, sed recta ratione instituitur. At in rerum renouatione, in cælorum conuersionibus, in mundi partium connexione maior ordo conspicitur, quàm vt vlla mente, & cogitatione fingi possit. Quòd si ea, quæ certo inter se ordine constant, vnum aliquem habent ordinis sui authorem, a quo digesta, & constituta sunt; cui dubium erit huius tam præclaræ, tam magnificæ vniuersitatis vnum aliquem authorem, & moderatorem esse? cum vniuersæ res miro inter se ordine collocatæ, & copulatæ sint? Præterea nihil est, quod omnes omnium virtutes, & perfectiones habeat, nisi id, à quo reliqua sunt: ipsum verò à nullo alio, quàm à se sit. Hanc perfectissimam, excellentissimamq; naturam, vltra quam nihil est, Deum vocamus, omnium rerum originem, atque principium. Itaque Deus nomen summæ potestatis est. Ac doctè naturales philosophi docent omnia, quæ mouentur, motionis suæ principium ab vno aliquo ducere, quod ipsum à nullo moueatur; atque omnes causas ad vnam principem referri, cui, tanquam capiti membra, cæteræ annectantur. quam principem causam Deum esse fatemur. His igitur rationibus persuasi docti homines; quidam etiam rerum futurarum præsensione, ac prædictione admoniti, tempestatibus etiam, ac fulminibus, terremotibusque perterriti numen aliquod esse crediderunt, à quo mundus moueretur, & regeretur. Immo etiam omnes homines persuasum habent esse Deum. omnium autem hominum cõsensio est naturæ quidam consensus. Quòd si nullus naturæ consensus est inanis, & vanus; liquet esse numen quoddam diuinum: quo mundum regi, & gubernari dicimus. Quamobrem qui negant esse id, quod verè est, perinde faciunt, ac si inficientur Solis splendorem lucere: Gigantumque similes videntur, qui Iouem de cælo deturbare conati sunt. Nec ori-

go

go Dei quæri debet, quæ nulla intelligentia compre-
hendi potest.

Quòd non sit nisi vnus Deus. Cap. VII.

QVamuis autē inter omnes omniū sententia con-
stet esse Deum;neq; vlla gens sit tam fera,& im-
manis, apud quam non sit aliqua diuinæ cuius-
dam mentis excellentis, præpotentisque suspicio:tamen
aliqui falsò plures Deos esse putarunt;quidam etiam de
Dijs praua senserunt, quos hominibus similes effecere,
mortales, alios ex alijs generatos, &, quod grauius, &
scelestius est,impudētes,intemperantes, adulteros, aua-
ros, fures, atque mendaces. Quorum sanè facilis est re-
prehensio. Nam ipsa mens humana sentit omnem im-
probitatem à Deo alienam esse; neque audet vllum sce-
lus in natura diuina cogitare; quam sanctissimā, & au-
gustissimam esse credit. Hinc qui apud gentes plus cæ-
teris ingenio, & prudentia valuere, istos Deos cōtemp-
serunt; & commenta poëtarum anilibus fabulis simili-
ma esse iudicarunt. Quinimmo eadem ratione, qua
probauimus esse Deum, probare possumus vnum esse
dumtaxat Deum. Nam quia non est nisi vnum rerum
omnium principium; quod idem est etiam omnium ex-
tremum,quoniam eódem,vnde deriuantur, omnia refe-
runtur, non est nisi vnus Deus; à quo, vt ab vnitate nu-
meri,sic res cæteræ pendent.Et cum tot,tantique motus
inter se dissimiles certa ratione conueniant; atque res
omnes,quarum varias formas, generaque conspicimus,
inter se rato ordine iūctæ, & collocatæ sint,profectò ne-
cesse est ab vno cuncta constituta esse: alioquin per-
turbaretur vniuersitatis ordo,si plures forent illius opi-
fices, & moderatores. Non enim ad vnum finem omnia
spectarent, si à diuersis artificibus ordinata essent: & a
se ipso dissideret, nec constaret secum vniuersum,si plu-
res

res fines existerent. Ac porrò vt in vna domo non plures domini, & in vna naui non plures gubernatores, & in vno exercitu non plures imperatores, & in vno corpore non plures mentes, sic neque in mundo plures Dij sunt. Quòd si plures Dij sunt, primùm diuina potestas non erit æterna; quia dissolubilis est; quoniam diuidi potest. Tum erunt Dij imperfecti, tantum vnoquoque desiderãte, quantum in alijs inest. Et quò plures Dij, eò etiam imperfectiores: & (quod absurdius est) valentior imbecilliorem contemnet, & præclariori inuidebit humilior; quodque alius iubebit, aut faciet, alius vetabit, atque delebit. Vnde & inter se pugnabunt, sicuti pugnasse scribuntur ab Homero. Quonã igitur pacto tantus rerũ ordo constaret, tanta temperatio consisteret, si plures essent moderatores vniuersi vel viribus impares, vel opinionibus discrepantes? Nec immeritò laudatur à philosophis Homerus, quòd ad rectam reip. constitutionem, & moderationem vnum regem fieri, non plures oportere dixerit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Ilia. B.
Εἷς βασιλεύς.

Ac porrò istas de multitudine Deorum falsas opiniones diuinæ gloriæ cupidissimi, & humanæ salutis inuidissimi Dæmones miris artibus inter homines disseminarunt, tum vt ipsi honoribus Deo vero debitis afficerentur, tum vt homines ad peccandum impunitatis spe faciliùs inducerentur; quòd alicuius Dei patrocinio tecti impunitos se fore sperarent. Non aliter in ciuitate, in qua plures dominantur, quò maior est vitæ libertas, eò etiam est peccandi licentia maior. At dicent cum Antisthene nõ esse nisi vnum naturalem, & summum Deum atque huic subiectos, & obtemperantes alios sine vllo odio, & inuidia. Tunc qui omnibus dominabitur, is omnium præstãtissimus, & perfectissimus erit. Vnus igitur, & summus Deus est; quoniam vnus a se est. quem siue

Deum, siue legem, siue mentem, siue spiritum voces, nihil refert, dum fatearis vnā esse præstantissimā omnium naturam, atque vnum rerum vniuersitatis principium. Quamobrem negare Deos esse plures, quàm vnum, prudentis, & sapientis viri: at numen omne diuinum tollere, scelerati, & impii hominis est. Nos & procreatarum rerum notis erudimur, & sacris literis iubemur vnum Deum colere; prohibemurque nouos Deos, & recentes accipere: quòd tantummodò vnus sit natura Deus, summa religione venerandus, atque colendus. Nec prophetæ solùm, verùm etiam Sibyllæ vnum Deum esse prædicant: & Mercurius Trismegistus quoque vnum Deum esse fatetur. Vnum quoque motorem esse Aristoteles, & vnum monarcham Plato tradit. Quin etiam ipsa natura (vt Lactantius Firmianus ait) cogit homines fateri vnum esse Deum: quia cum iuramus, aut optamus aliquid, aut aliquo malo vrgemur, vnum Deum, non plures inuocamus. Nec verò cum omnibus hominibus innatam esse, & quasi animo insculptam Dei cognitionem dicimus, id intelligi volumus, quòd omnes animo facilè sine vlla inquisitione, & doctrina Deum esse concipiant: quando an esset permulti addubitarint; quidam etiam ne suspicati quidem fortè sint: sed quòd humana ratione cognoscere, & insito intelligentiæ lumine videre quodammodo possint; semperque ad ipsum cognoscendum, & videndum innato quodam studio ferantur. Etenim dum animus hominis semper aliquid scire desiderat, nec sciendi finem vnquam vllum facit; dumq; aliquid semper optat, nec bonum vllum, quo expleatur, nanciscitur, quid aliud, quàm Deum ipsum instigante natura inquirit, & appetit? cuius sanè cognitio rerum omnium scientiam complectitur; cuiusque coniunctio bonorum omnium summam continet, æternæ felicitatis possessionem.

Deut. 6. Exod. 20. Psal. 80.

Phys. 8.

Lib. 2. Instit. cap. 1.

Quod

Quòd Deus sit mens, non corpus. Cap. VIII.

QVando satis probatum est esse Deum, & dumtaxat vnum Deum (quod quidem primo loco disputationis firmandum, & docendum fuit) deinceps qualis sit inquiramus: quoniam hoc plurimum ad propositam quæstionem faciet. Epicurei corporatos, & aspectabiles Deos faciunt, specie humana; quia nulla est hac figura pulchrior: nec tamen Deorum corpus idem esse volunt, atque hominum est, ex his ortum initiis, quæ græcè elementa dicuntur; sed humano simile: quale autem istud esset ne suspicari quidem ipsi potuerunt: num venis, ac neruis, & ossibus constaret; aut quibus escis, & potionibus vesceretur, ne vel nimis crassos, vel nimis acres humores colligeret. Tum etiam poëtæ induxerunt Deos vita, & consuetudine similes mortalibus. vnde ad humanæ imbecillitatis rationem diuina transferentes non solùm leuitatis, sed etiam impietatis omnia repleuerunt. Et nefas sanè est meliora conferre deterioribus: & de rebus diuinis mentiri non modò stultum, sed etiam nefarium est. Sed & inter Christianos hæretici quidam extitere Antromorphitæ Vadiani: quidam etiã in Ægypto monachi, qui Deũ corporatũ esse asseuerarunt; quòd à diuinarum rerum scriptoribus Moyse, atque prophetis humani corporis membra Deo affictæ sint. At contra sacræ literæ produnt Deum mentem esse, non corpus. Sic enim D. Ioannes Euangelista Cap. 4. diuinorum arcanorum pronunciator egregius Deus, inquit, spiritus est. Nec non veterum philosophorum sapientissimi naturam diuinam simplicem esse prædicarunt, nihil in se adinixtum habentem, atque dissimile. E quibus Pythagoras Deum asseruit esse mentem, nec ortam ab alio, neque aspectabilem, sed ab omni sensu, & perturbatione liberam, atque solutam. Sic etiam Plato-

Tusc.quæst.1. nis studiosissimus Cicero de Deo loquitur, Nec verò Deus ipse cùm intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno. Ille quoque poeta Deum vocat animum pura mente colendum. Sed ne solis pugnemus authoritatibus, agamus argumentis, & quod dicimus corroboremus rationibus. Primùm quicquid in rerum natura est vel in intelligentiam, vel sub sensum cadit. quod autem intelligentia comprehenditur, nobilius est eo, quod sensu percipitur; quia simplicius, & stabilius est, expers concretionis, & coagmentationis, sui similius, ac vi sua perfectius. Ergo mens, quæ simplex est, & sensum omnem effugit, longè maiorem dignitatis habet, virtutisq; præstantiam, quàm corpus, quod tangitur, & cernitur, ac pluribus è rebus fingitur, atque conflatur. Necesse est autem id optimum esse, quod est omnium potestate, dominatuq; dignissimum. At in Deo est totius naturæ principatus. quam rem omnes sine vlla dubitatione fatentur. Deus igitur, cuius natura optima, & præstantissima est, mens est, non corpus. Tum homo ab animi potiùs, quàm ab vlla corporis dignitate laudatur. Cur igitur Deus, qui hominis animũ creat, corpus est potiùs, quàm animus, qui est corpore longè præstantior? Insuper diuinæ mentes, quæ etiam intelligentiæ vocantur à philosophis, & à rerum sacrarum scriptoribus angeli, sunt ob naturæ suæ pręstantiã ab omni corporea concretione vacuæ: & Deus erit corporatus, qui parens, & dominus est omnium intelligentiarum? Pręterea cum omne corpus aut animatum sit, aut inanimatum, qualenam erit istud corpus Dei? non inanimatum. nam præterquàm quòd humiliorem naturam haberet (siquidem animatum corpus præstat inanimato, quòd à se ipso moueatur, non motu pulsetur externo) beatus esse nullo modo posset; quia nihil sentiret.

Ergo

Ergo animatum dices. At omne animal ex se multis perturbationibus afficitur, multisq; miseriis, & ærumnis premitur, gaudet, mœret, dolet, angitur, alget, ardet, sitit, esurit. Nullus autem labor, nullus dolor, nulla perturbatio in Deum cadit, qui beatissimus est. Adhoc vis corporis finita est, cuius certi sunt termini. at Dei virtus est immensa, & infinita. Præterea corpus omne, qua ratione corpus est, dirimi, ac distrahi potest. quod autem huiusmodi est, fert, patiturque aliquid ab alio. Atqui Deus a nullo vim quampiam accipit; quandoquidem omnibus excellit. Sed & corpus omne vel loco, vel ortu & interitu, vel accretione & diminutione, vel qualitate aliqua mutabile est. verùm Deus nullo horũ modo mutatur, qui est vbiq; æternus, indissolubilis, simplex, semper sui similis, infinitus, actus (vt philosophi loquuntur) purus, alia mouens, idem, & immobilis ipse manens. quia si ab aliquo moueretur, primus omniũ motor haud equidem esset. Necesse est verò secundum philosophos vnum aliquem dari, qui alia ciens, nullo ipse pulsu agitetur; vt aliquod motionis omnis principium statuatur. Ac benè D. Iacobus ait nullam esse apud Deum muta- Cap. 1.
tionem. Quin etiã de se ipso Deus prædicat, Ego Deus, Malach. 3.
& non mutor. nam à se est, & per se beatus est. qui nec a se esset, nec per se beatus esset, si vlla ratione mutaretur. Postremò corpus loco circũscribitur. at Deus nullo obsidetur loco. Deus igitur non est corpus. Quid? si Deo membra corporis affingunt, non ne etiam membrorum vsum attribuent, incessum, sessionem, accubationem, atq; alia corporis partium munia? Sed hæc omnia sunt in Deo (vt cuique euidens esse puto) inania, & superuacua. Nulla autem inanitas in natura diuina cogitari potest. Quòd si fortè sacrorum librorum paginas euoluentes aliquando legimus Deum caput, oculos, manus pedes, atque alia membra corporis habere, ista μεταφορικῶς dicta intelligamus. Nam caput diuinitatem, oculi

scientiam,

ſcientiam, manus potentiam, pedes firmitatem eius ſignificant. Quas ſimilitudines docti quidam, & ſancti viri ſatis aptè explicuerunt. Decet porrò homines, qui cognitionem primam rerum a ſenſibus accipiunt, corporeis rebus erudiri, & ad diuinarum, & cæleſtium rerũ ſcientiam his, quæ ſenſibus obijciuntur, quaſi manu duci. Verumtamen imperitis, rudibusque hominibus, & qui mentem a ſenſibus minimè auocabant, prudenter ſapientes viri, ſicut Numa Pompilius veteribus Romanis, interdixere, ne vllam Dei ſpeciem, ac figuram fingerent; vt ne illũ corpus aliquod habere crederent. Chriſtianis verò res cæleſtes intelligentibus, & à corporeis, aſpectabilibusque rebus ad diuinas, & eas, quæ tantùm ſub intelligentiam cadunt, cogitationes animi transferre ſanctis præceptionibus edoctis, non video quod periculum procreet ad doctiſſimorum, & religioſiſſimorum hominum rationes expreſſa Dei imago; præſertimque Dei filij; qui vt hominum genus è diaboli ſeruitute redimeret, humanum corpus aſſumpſit. Cuius imaginem, atque etiam diſcipulorum eius figuras pij viri intuentes, ad ipſorum humilitatis, charitatis, patientiæ, ac reliquarum virtutum imitationem, & ſtudia vehementer incitãtur. Sed ne à re propoſita in aliam traducamur, concludamus Deum eſſe mentem ſimplicem, & immortalem. Quod quidem a nobis ideo probatum eſt, vt ne quis illum exiſtimet, ſi non ſit membris corporis, & figura vacuus, vel in vniuerſitatis adminiſtratione defatigari, ac morbos ex mẽbrorum defatigatione timere, caſumue vllum, ictumq; metuere; vel omnibus rebus non poſſe proſpicere, quoniam locis omnibus præſens eſſe non poſſit, quòd corpori circumſcriptus ſit certus locus. Cæterùm vt probemus Deum rebus omnibus poſſe proſpicere, deinceps vim eius infinitam, & immenſam eſſe demonſtremus oportet.

Plutarc. in Num.

Quòd

Quòd Dei vis sit immensa, & infinita. *Cap. IX.*

DEI virtutem immensam, & infinitam esse, tum ipsius natura, tum cognitio, tum opera declarãt. Etenim quia a se, & in se ipso est, singillatimque cuncta cognoscit, atque ex nihilo quicpiam facit, interminatam omnino vim habet. Nam quia a se est, æternus est: quandoquidem semper est; quoniam se ipsum nihil vnquàm deserit. Aeternitas enim est a natura semper eadẽ. Id autem est semper idem, quod nullũ initium habet, nullumque extremum. Quod verò huiusmodi est, huius profectò infinita vis, & natura est. Nec si cælestes intelligentiæ immortalitate fruuntur, ideo vi sua æternæ sunt, sed Dei beneficio; a quo illis donata immortalitas est. Solus quidem a se Deus est: qui idcirco se ipsum vocat Ego sum, qui sum. Ac quia a se est, æternus est. Quòd si æternus est, vim certè obtinet infinitam. Tum quod a se est, in nullius potestate est. a nullo igitur vis eius circumscribi, terminarique potest. Huiusmodi autem est Deus, qui nullo generatus est ortu, nemineq; habet natura, & dignitate superiorem. Adhoc Deus est omne bonum, quoniam omnes perfectiones, atque omnem bonitatem possidet. at hoc omne bonum est infinitum, tum quia infinitis modis se alijs communicat, tum quia nullum habet extremum. Est igitur Dei virtus infinita. Quam interminatam esse etiam comprobat infinita eius cognitio. Nam omnia (vt D. Paulus testatur) nuda sunt, & aperta in conspectu Dei: qui etiam cuncta planè cognoscit, antequàm sint: vocatque ea, quæ non sunt, ac si sint; simulque omnia, & singillatim præterita, præsentia, & futura cernit. quæ porrò singula innumera sunt. ideoque humanam intelligentiam fugiunt; cuius est definita facultas. Quòd si Deus non omnia men-

Exod. 3. Hebr. 4. Rom. 4.

te

te percepta teneret, non vtique sapientissimus foret. siquidem eius intelligentiam aliquid lateret. Atque hoc pacto Aristoteles contra Empedoclem disputat, Deum insipiētissimum fore, nisi discordiam cognosceret; a qua secundum Empedoclem infinitæ res proficiscũtur. Quin etiam mutabilis quodammodo foret, ni cuncta simul nota, & perspecta haberet: quippe qui discēs quod ignorabat, ex insciente sciens fieret. At satis liquet Deum esse immutabilem. Cæterùm diuinæ, simplicissimæque mentis qualis est cognitio, talis est & natura: cui nimirum nihil tribues, quod ab eius substantia seiunxeris. Quamobrem si Dei cognitio est infinita, etiam natura, & virtus eius erit infinita: nēpe cuius natura, vis, & cognitio eadem omninò sunt. Postremò ex ipsius Dei molitionibus, & operibus immensam diuinam virtutem agnoscimus. Etenim mundum ex nihilo, hoc est, ex nulla subiecta materia creauit. Atqui de nihilo quicpiam facere, id immensæ virtutis est. Si qui rudem materiam format, is magnam virtutem, & artem indicat; quantanā vis eius esse intelligetur, qui ex nulla proposita materia quicquam finget? Huius non humana, sed diuina; non finita, sed infinita vis erit. Nec equidem fas est homines suam cũ diuina facultate comparare, cùm nulla sit finiti cum infinito proportio. Quod philosophorum quidam impudenter facere audentes, maximè omnium insipientes, et impij effecti sunt. Verùm omnes pij viri diuinam virtutem infinitam, & admirabilem esse credunt, & prædicant. Et, ne Mercurium Trismegistum, Pythagoram, Platonem, Anaxagoram, ac veteres alios Theologos recenseam, qui Deum mentem infinitam vocant, præstantissimi poëtarum summum Iouem omnipotentem appellant, hominum, deorumq; parentem. Cuius potentia quanta sit, vel ex hoc vno conijci posse demonstrant, quòd sæpe solo nutu totum tremefecit Olympum.

 Quòd

Quòd Deus sit vbique. Cap. X.

QVòd si diuinam mentem infinitam esse constat, liquebit etiam Deum esse vbique. Sed explicãdi sunt modi, quibus intelligi volumus, cùm aliquem alicubi esse dicimus. Qui quidem duo præcipuè sunt. nam vel dimensione corporis, vel actione virtutis in loco esse dicitur: cùm, inquam, vel corpore locum obsidet, vel alicubi aliquid agit. Priore modo nefas est dicere Deum esse in loco, qui corpore vacat; sed altero modo dicitur id loci esse, vbi aliquid molitur, & agit. Quãobrem si cuiuspiam circumscripta vis est, huius & definita natura est. itaque sic in vno loco est, vt non sit in alio. Sin infinita vis est, & interminata natura est. Itaque est vbique. Est ergo Deus, cuius uis infinita est, & per omnia manat, vbique: neque vllo circumscribitur loco; quia sic in vno loco est, vt sit etiam in alio, neque vllius terminis claudatur. Atque equidem primùm omnes veteres philosophi, atque Theologi Deum esse vbiq; prædicant. Mercurius ille, qui, quòd maximus philosophus, rex, & sacerdos fuit, à Græcis est cognomento Trismegistus appellatus, mundum vocat vas diuino numine repletum; aitque Deum in singulis rebus cerni. Pythagoras, cuius summa fuit apud omnes authoritas, Deum esse ait animum per omnes mundi partes commeantem. Item Plato diuinus philosophus, & Platonis studiosus Cicero sentit. Empedocles physicus egregius omnia Deo plena esse confirmat. Thales vnus è septem Græciæ sapientibus Deum censet omnia cernere. Themistius nobilis peripateticus Deum inquit non solùm ea, quæ extra sunt, tamquàm vestem quandam cingere, verum etiam vniuscuiusque rei partes intimas contegere. Laudaturque Heraclitus ab Aristotele, quòd cùm in cella quadam furnaria commoraretur, his, qui ad se visendi Metap. 12.

causa eò venerant, dixerit, ne locum illum intrare erubescerent, in quo etiam Deus inesset. Idem quoque excellentissimi poëtæ canunt. Nam Homerus Solem, quo summum Deum intelligi vult, inquit omnia cernere, & audire. ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Ilia. γ. & Virgilius, quod ab Arato accepit,

Eccl. 3. *Ab Ioue principium Musæ: Iouis omnia plena.*

Georg. 4. & alibi ——— *Deum namque ire per omnes*

Lib. 9. *Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.*

& Lucanus,

Iuppiter est quodcunq; vides, quodcũq; mouetur.

Idem ex sacris literis accipimus: in quibus de se ipso

Esa. 66. Deum loquentem audimus, Cælum sedes mea, & terra

Hier. 23. scabellum pedum meorum. ac rursus, Cælum, & terram

Psal. 138. ego impleo. Præterea cum Deo verba faciens Dauid Quò ibo, inquit, à spiritu tuo? & quò a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Et in diuinorum Prouerbiorum libro legi-

Cap. 15. mus, In omni loco oculi Domini contemplantur bonos,

In Exped. Cyri lib. 2. & malos. Idque ipsum Xenophon Socratis auditor sensisse videtur, cùm scripsit nullum esse propugnaculum, quò ira Dei non peruadat. Sed quamquam omnes Deũ esse vbique dicunt, non tamen omnes eodem modo Deum esse vbique sentiunt. Nam quidam, vt Orpheus, Zeno, Varro, censent Deum esse cuiusque rei formam, scilicet alteram compositæ rei partem, pro dissimili cuiusque rei conditione variam: elementorum quidem simplicem formam; mixtorum aptam ex elementis compositionem; animatorum verò animã: in summa Deum res omnes ex se se formare, & vniuersitati rerum se se miscere, atque vnum postremò totius mundi spiritum, & vitam esse. Quibus Empedocles fauet, qui Deum, quem νοῦν, hoc est, intelligentiam vocat, singulis mundi partibus, tanquam animam omnibus membris corporis permisceri

permiſceri ſcribit. Iſtorum ſententia Deus non erit ſimplex, & perfectus, qui cum rebus alijs componitur: nihilque erit non intelligens, non immortale, & indiſſolubile, ſi Deus eſt rerum omnium forma; qui intelligẽs, æternus, & immortalis eſt. Quam ſententiam tũc copioſiùs refellemus, cùm de mundo an ſit animatus quæretur. Cæterùm Peripatetici, qui intellectum, quem agentem nuncupant, Deum eſse volunt, ipſum aſseuerant totum vbique eſse, nec modo vllo diuiduũ, & ab omni coniunctione liberum, vtpotè ſe ipſo perfectum, atque beatum. At Chriſtiani Theologi docent Deum eſse vbiq; ſua (vt ipſorum verba vſurpem) eſsentia, præſentia, & potentia; & omnia in Dei eſsẽtia, præſentia, & potentia eſse: quoniam quicquid vſquam eſt, à Deo eſt; nihilque eius aſpectum effugit; & cuncta diuina virtute continentur, atque reguntur. Vnde ſi à mundo, vel momento temporis ſe Deus ſubtraheret, nulla diſſimilium rerum coniunctio, nulla contrariorum concordia, nulla mundi partium conſentiens maneret coagmentatio: quin immo ſtatim vniuerſa corruerent, & in nihilum redigerẽtur. Quapropter D. Paulus, quia res omnes diuina virtute, intelligentia, voluntate creantur, percipiuntur, conſeruantur, ſcribit omnia ex Deo, per Deum, & in Deo eſse. Et diuinam quidem mentem is maximè cenſet commeare per omnia, qui credit Deum omnes hominis ſenſus, cogitationesque ſcrutari. Nec ſolùm Chriſtiani, ſed cuiuſuis etiam generis homines, qui diuinum aliquod numen eſse putarunt, Deum omnia noſſe, etiam animarum occultos ſenſus, & motus crediderunt: atque hanc diuinæ virtutis anticipationem ſine vlla doctrina, & literis habuerunt. Et perſpicuum quidem eſt Deum omnia noſse. certum quoque igitur eſt ipſum penetrare per omnia. Nec verò Deus ita rebus adeſt, vt quicquam à re quapiam recipiat: ſed quemadmodum Sol cuncta ſuo lumine illuſtrans, à nulla re coërcetur,

Rom. 11.

nec cuiusquam sordibus inquinatur: sic Deus per omnia manans nulla re cōstringitur, nihilque a quoquam fert, idem semper, & immutabilis. Ac præclare mysteriorum Ægyptiorum explicator Iamblicus Deum ait omnibus præsentem esse, liberumque ab omnibus cuncta seipso cōplere, ac nulli rei se admiscere, meare per vniuersum, nec cuiquam locorum vitam suam addicere. Vnus tamen Auerroes peruersè relinquens sententiam, tenens verba, quæ octauo physicorum libro Aristoteles scripta reliquit, nempe Deum in extremitate cæli habitare, & quæ libro primo de cælo legūtur (sunt autem hæc) Omnes homines Deum esse existimant, atque omnes, qui Deum esse existimant, tā Græci, quàm Barbari summū illi locum attribuunt; quod Homerus etiam cecinit.

Ζεὺς δ᾽ ἔλαχ᾽ οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι, καὶ νεφέλησιν;

negat Deum alibi esse, quàm in cælo: ac pueros vocat eos, qui sentiunt Deum esse vbique; quòd efficientium causarum, & eorum, quæ ex causis fiunt, ordinem turbent. At si Aristotelis verba mordicus tenenda sunt, Deum non in ipso cælo, sed in extremitate cæli collocare oportebit, siquidem Aristotelesmet Deum extremitatem cæli habitare scribit. At quæro a te Auerroes, cur scripsisti probos viros esse amicos Dei, si negasti Deum has res inferiores aspicere? Scripsisti etiam te diu quorundam verborum Aristotelis sententiam quæsisse; tandem illam diuino quodam afflatu percepisse. Adfuit Deus impij, & scelerati hominis studio, & aliorum curam nullam geret? O incredibilem insaniam? quonam modo quæso vis Dei per omnium rerum naturas pertinet, si tantùm extremitate cæli continetur? An non satis iam probatum est res multas, atque diuersas coagmentari, coniungique inter se non posse; nisi ab vna aliqua præstantissima natura copulētur: quæ cūcta vi sua tueatur, atque coërceat? Et si Deum vni tantùm vniuersitatis parti, tanquàm vni prouinciæ addicunt

cunt

cunt, quinam erunt ij, qui reliquas obtinebunt? Alij ne Dij? Atqui non est, nisi vnus Deus. aut quis erit inter eos ordo? si nullus; cur non omnia ruunt, atq; turbantur? si aliquis est ordo; ad vnum certè caput, vnumque extremum omnia referuntur. Deus autem est omnium principium, & finis, α (vt D. Ioannes loquitur) & ω. Principium quidem est, quia est omnium origo; finis verò, quia ad ipsum omnia reducuntur. Nam quod est principium rerum, idem est etiam ipsarum finis; quoniam vnde uim vnaquæque res accipit, eò se se reuocat: non secus ac flumina in Oceanum confluunt, vnde oriri creduntur. Neque est physicus vllus rerum naturalium tam ignarus, qui nesciat secundas causas, vim efficiendi a primis accipere; primisque remotis, nullas esse secundas. Est ergo Deus vbique, qui prima, & princeps omnium causa est: cuiusque vis per omnes naturas manat, atque diffunditur. Dicimus verò Deum in summo cælo esse (quod etiam Christus dixit, cùm orare Deum patrem nos docuit) tum quia motus omnis inde est; tum quia Deus in cælo præclarissima opera molitur: sicuti lumen Solis in vna mundi parte clarius, quàm in alia elucet. At certè (vt opinor) Auerroem, alioquin doctum, & acutum hominem, non sciendi studium, sed religionis contemptus in tantum errorem induxit: qui satis intelligebat primæ causæ virtutem in cæteras causas influere; nec Deum, qui diuinis intelligentijs simplicior est, corporatum esse, vt solam summi cæli extremitatem teneat. Nec verò Aristoteles cùm res nostras dixit æternas esse non posse, quia multum a primo principio absunt, locorum interualla, sed naturarum differentias intelligi voluit. Quin etiã Pythagoras, vt Aristoteles in cælo Deũ collocat ob initiũ motus, & magnifica opera, sic ob diuinæ bonitatis communicationem ipse Deum in centro constituit; quod in mundo medium, & infimum

Apoc. 1.

Matth. 6. & Luc. 11.

De Gen. li. 2.

mum eſt. Quamobrem ſi Deus eſt in ſummo, & medio mundi, certè eſt vbique. Nec verò cùm dicitur Deus in cælo, & in terra eſſe, intelligas ipſum vel partem alteram in cælo, alteram in terra; vel modò in cælo, modò in terra eſſe alternis temporibus; ſed totum in cælo, & in terra ſemper eſſe ſimplicem, & indiuiduum, nulliusque loci finibus circumſcriptum.

Quòd Deus ſponte, non vi, aut neceſſitate naturali faciat, quæ facit. *Cap. XI.*

Diſputandum mox eſt contra eos, qui Deum aſſerunt ea, quæ facit, non ſponte, & ſua voluntate, ſed vi quadam, & neceſſitate naturali facere. Quod dum aiunt, omnem à Deo prouidentiam adimunt, & a noſtris animis religionem euellunt. Non enim eſt vlla ſine conſilio prouidentia: vbi verò neceſſitas adeſt, ibi nullus datur conſilio locus. Tum fruſtra Deum precamur, ſi in precibus nobis occurrere non poteſt. non autem poteſt occurrere, ſi ſuis actionibus impoſitam habet neceſſitatem. Hinc cælos, & aſtra precari ſtultitiæ opus ſimile ducimus; quia nullas preces audiunt, & ſemper vi conuerſantur eadem. Remotis autem votis, & precibus, nulla manebit religio. Verùm vt meliùs percipiatur quod quæritur, explicare priùs oportet quid ſit ſponte, quid neceſſariè aliquid agere. Sponte agit, qui ſuarum actionum habet poſitum in ſua poteſtate principium. Habet autem poſitum in ſua poteſtate ſuarum actionũ principium, qui cum ratione, & delectu aliquid agit. ſiquidem in eius poteſtate eſt illud agere, aut nõ agere. Quare voluntatem habent ij, qui rationis capaces ſunt: quoniam boni, quod appetunt, naturam intelligunt; liberumque ipſis eſt hoc, aut illud optare. Quòd ſi poteſtas hoc, vel illud

lud optandi in nobis eſt,& eorum,quæ cum delectu agimus,poteſtas in nobis erit.Itaq; id propriè voluntarium dicitur, quod cum ratione, & delectu fit.Quocirca bruta animantia,quia ratione,& conſilio carent,nullius ſui iuris ſunt.Neque enim aliter affici,mouerique poſſunt, atque a natura comparantur;nec ſecus agere, ac vi inſita aguntur. quæ quidem vis a natura, & eſſentia rei emanat. Ideoque ſolo naturæ inſtinctu ad certa opera incitantur. Vnde ad rem ſibi conuenientem procliuitas ab inſita,& naturali vi excitata,nullum rationis ductum ſequens, naturalis appetitus vocatur. qui,quoniam natura ſemper eadem manet,nec contra fertur,etiam ſemper eſt idem,ſemper eandem commotionem habens naturalem,& neceſſariam. Atque hoc eſt naturali neceſſitate moueri. Iā videamus an voluntaria ſint opera Dei, an neceſſaria?Primùm Deus non eſt corpus,ſed præſtantiſſima, & ſapientiſsima mens: nec vi inſita rationis experte ducitur,quia nulli naturæ, aut neceſsitati obedit: cùm omnem gignat, & regat ipſe naturam. Eſt ne aliquis tam inſanus,qui huius vniuerſitatis opus non ſumma arte, & ratione, ſed caſu, & fortuitò effectum exiſtimet?Si ergo Deus mundum ſumma arte,& conſilio effecit;certè non caret intelligentia,qui eius,quod fecit,intelligens fuit. Quòd ſi ratione,& intelligentia pollet,habet profectò ſuarum actionum poteſtatem:intelligitque ea, quæ facit; ac vult quæ intelligit; neque intelligit, nec vult niſi bonum,qui eſt ipſamet bonitas.Hunc quippe ſui iuris vocamus, qui intelligit quod agit, ac vult quod intelligit.Præterea intelligens eſt non intelligente præſtantius: quoniam ſui iuris eſt. Eſt ergo ſui iuris, & intelligens Deus,qui omnes vi,dignitate, amplitudine vincit. Actiones hominis ſunt voluntariæ,quia liberam habet facultatem eorum,quæ agit: Dei opera non erunt voluntaria, cuius poteſtati ſubiecta ſunt omnia? Et qui mentem angelis, & hominibus dedit, eorumque volun-

tates

tes mouet, is mente, & voluntate carebit? Aut nihil est quidem in vniuerso voluntarium; aut Deus sua sponte, & voluntate mouetur. Quàm multa sunt, quorum nullam præter diuinam voluntatem possumus reddere rationē? quàm multa etiam cernimus nunquàm visa, quorum causam ad Dei nutum transferimus? Non igitur vident, qui Deum subdunt naturali necessitati, quanta illum dignitate, & authoritate priuēt. Non enim Dei natura præpotens foret, atque excellens, si vlli naturæ, aut necessitati pareret: neque in sua esset potestate, si sine ratione, & scientia moueretur. Cùm autem summo consilio, & ratione vtatur, ac miro artificio sua opera efficiat, nec non singulari virtute conseruet, cur libertatem actionum illi adimunt, & naturali necessitati subijciūt? Accedit quod Dei virtutem, quam infinitam esse supra demonstrauimus, ipsi finitam faciunt, certisque terminis, finibusque concludunt. Nam causarum naturalium definitæ sunt propriæ potestates: nec possunt alia efficere præter ea, quæ faciunt. At Deus, cuius immensa, & infinita vis est, potest plura, & nobiliora opera his, quæ fecit, efficere. Et quæ causa naturalis, cuius virtus ad rem vnam, & definitam comparata est, tot, tantasque rerum diuersas, differentesque naturas cælestes, & terrestres, caducas & æternas procreare, aut inter se continere potuit? At Deo virtutem infinitam ideo philosophi tribuere noluerunt, quia numen diuinum naturali quadam necessitudine coarctauerant. Ex quo mundum à Deo factum negarunt; quoniam spontè ipsum, non necessitate vlla fecisse sequeretur. quandoquidem quæ naturali necessitate aguntur, semper res easdem, & eodem modo, ac ratione faciunt. ideoq; mundum æternum volunt, quia naturali constat necessitate. Sed certū est, (vt mox demonstrabimus) a Deo mundum quando, & quo modo voluit effectum, non vllius externæ rei gratia, sed vt suam bonitatem communicaret, atque diffunderet

Ac quando propter singularem diuini numinis simplicitatem eadem est natura Dei, quæ ipsius actio; qualis sit natura diuina ex Dei actione perspiciemus. Actionum secundum philosophos duo sunt genera, alterum earum, quæ in ipso agente remanent, vt intelligere, ac velle; alterum earum, quæ extra prodeunt, & rem aliquam extra positam afficiunt, vt arare, & ædificare: illæ ad ipsius agentis, hæ ad externæ rei perfectionem pertinent. Erit ergo Dei actio, quæ est ipsius perfectio, intelligere, ac velle. Cuius autem natura huiusmodi est, is actionum suarum positam in se ipso potestatem habet. Sed obijcient fortasse nobis Peripateticorum aliqui, Deum, quem immortalem esse liquet, mutabilem fore, si voluntatem vllam haberet: quia vellet interdum quod noluerat, ac nollet quod voluerat. At nos quoque Deum immutabilem esse prædicamus; eiusque voluntatem eandem esse, quæ ipsius natura: naturam verò simplicem, semper sibi similem, & eandem. Itaq; diuinam voluntatem affirmamus semper eandem esse, neque vlla ratione mutari: atq; Deum, quod nunc vult, id semper æterno tempore voluisse. Proinde si quid gignitur, quod ante non erat, id, quod gignitur, mutationem habet, non diuina voluntas; cuius nulla facta mutatio est; quippe quæ semper idem voluit. Nec rectè illud sequitur, nullã esse ob id voluntatem, quia immutabilis est. nam ab intelligentia voluntas; a simplicitate immutabilitas est. Neque enim vt humanæ, sic diuinæ voluntatis motus alios alij consequuntur. Ac rectè a philosophis Deus primum mouens immobile vocatur: quia se ipsum nihil mouens, reliqua mouet. Vnde veterũ Theologorum aliqui, quoniam diuina voluntas semper eadem est, omnibus imperans, Deum vocarunt necessitatem omnibus dominantẽ. Sic Orpheus de Deo loquens,

Δεινὴ γὰρ, inquit, ἀνάγκη πάντα κρατύνει.

Quæ quidem necessitas quam optima est, quia est quàm

F ma-

maximè voluntaria. Quamobrem Deus ſponte, ac ſua voluntate facit, quæ facit; intelligitque quod vult; ac vult quod intelligit: eiusque intelligentia, & voluntas eadem res eſt, quæ ipſius natura, quæ ſemper eadem manet, nec vllo vnquam tempore mutatur. Ac me nullius philoſophi diſciplina mouebit, vt contra ſentiam: nec apud ſanos viros contra veritatem vllius hominis valere debet authoritas.

IO. ANTONII VIPERANI
DE DIVINA PROVIDENTIA
LIBER SECVNDVS.

Quòd Deus ſit opifex vniuerſi. Cap. I.

CVM his, quæ dicta ſunt, conſentaneum, & conſequens eſt opificem mundi perquirere; quandoquidem ſi aliquis eſt opifex, erit quoque idem ſine vlla dubitatione rector, & moderator vniuerſi. Ideoque Epicurus, quia diuinam prouidentiam reiecerat, mundum non à Deo factum, ſed ex fortuita infinitarum, & variarum atomorum cõcurſione, & cohæſione conflatum docuit. At ſi mundus factus non eſſet, nulla ratione conſtaret; ſiquidem ratio opus præcedit; cuius idea in artificis mente priùs, quàm for-

formetur, est: & fierent nunc etiam temerè omnia nullo ordine, & ratione seruata. verùm nihil fieri videmus sine summa ratione, & ordine. Si cùm aliquam statuam, aut tabulam egregiè fictam, depictamue conspicimus, illico dicimus ab eximio aliquo factam artifice; nam omne artificium ab aliquo artifice factum esse necesse est; mundum tanto ordine fabricatum, quantum nulla mēs consequi potest, casu, aut naturali aliqua necessitate, non ab aliqua præstantissima mente factum esse fatebimur? Cęterùm mundi magnitudo, & eius partium compositio, ac rerum omnium ordo, & constantia planè indicant ipsum a summo aliquo factum opifice: cuius & virtus, & prudentia summa sit, & immensa. Primùm magnitudo mundi definita, & terminata est. ab aliquo igitur terminata. Non enim ipse sibi suam magnitudinem descripsit. nam quid obstitit, ne se maiorem efficeret? cùm vnaquæque res dilatari ex se ipsa quàm maximè cupiat? Quòd si ab alio eius descripta magnitudo est; sine dubio ab alio effectus est. aut si a nullo factum dixeris, cogeris etiam fateri esse infinitum: siquidem infinitum est, quod a se est; quod verò ab alio est finitum est. Tum mundi partium diuersarum inter se apta compositio authorem aliquem sui indicat. nam summa cum imis, & cum cælestibus terrena mirabili artificio connexa sunt: ipsaque elementa inter se contraria, & pugnantia incredibili (vt philosophi, & poëtæ loquuntur) discordi concordia cohærent. Quæ tam inter se differētia, & repugnantia quomodo sine alicuius præstantis, præpotentisque naturæ consilio, & virtute conuenirent? Sed & quicquid pluribus partibus constat, ab aliqua superiore vi, & natura componitur. Præterea tot causarum, & rerū admirabilis ordo vnum esse omnium principium demonstrat. Sunt etenim causæ quædam superiores, omniumque communes; quædam inferiores, ac minùs vniuersales; quædam etiam cuiusque propriæ:

quæ cùm aliæ ab alijs pendeant, necesse est vnam esse omnium principem, quæ reliquas sua virtute contineat. Sunt etiam res aliæ alijs perfectiores. nam intelligens sentienti, sentiens viuenti, viuens non viuenti præstat: & in præstantioribus sunt etiam virtutes inferiorum. Quocirca oportet esse vnam omnium præstantissimam naturam; à qua cæterarum virtutes tanquàm a fonte deriuentur. Hæc est enim analogiæ ratio ad vnum principium deuenire. Adhoc omnis ordo finem aliquem spectat. nam ordinare est ad propositum aliquem finem res digerere. Quæ autem finem habent, & efficientem causam habent; quæ ad finem omnia dirigit. Est igitur mundi, in quo tot, tantæque res summo consilio, & ratione ordinatæ sunt, aliqua efficiens causa; quam Deum no-
Prouerb. 16. minamus; qui etiam ipse est omnium finis, qui propter semetipsum omnia procreauit. Sed quidam fatentur Deum esse quidem rerum ordinis causam, sed non ipsarum rerum authorem. Verùm quo pacto res alias alijs subiectas, & obedientes redderet, si non etiam ipsarum naturas gigneret? Non enim totius vniuersitatis ordo in istis tantùm est, quæ foris cernuntur, sed etiam in his, quæ in omnium naturis inhærent: quæ non vtique imperium Dei sentirent, ni ab ipso procreatæ essent. Et si rerum naturæ a se ipsis essent, essent omnes vndequaq; perfectæ, neque aliæ ab alijs penderẽt. cùm autem aliæ alijs subiectæ sint, ad vnam primam, præstantissimamq; naturam referantur oportet: cui vim omnem suam acceptam referant. Insuper ex rerum omnium in suo cuiusque genere semper consimili statu probari potest mũdum non solùm ab aliquo factum; sed etiam summa arte, & sapientia factum. Nihil enim ratum, & firmum est, vbi temeritas est. Vbi autem ratio valet, ibi sapiens aliqua natura esse intelligitur. quæ quidem alias res conseruare non posset, nisi virtutes illarum complecteretur. Est igitur Deus mundi sapiens author, qui eodem

modo

modo mundum regit, atque gubernat. Quare qui sponte sua nata omnia dicunt, ij rationem omnem, & intelligentiam, omneque principium, & finem excindunt. At negat Epicurus se tanti operis fabricam vllam videre, non machinas, non ferramenta, non vectes, non molitionem vllam. Vidisset sanè, si operi interfuisset. neq; vllis ferramentis opus Deo fuit, qui ex nihilo res omnes solo virtutis suæ verbo creauit. Damnat præterea Epicurus multa opera naturæ, quasi vana, & temerè facta. Quid mirum, si rationes illarum percipere non potest? Posset quidem percipere, si posset eadem opera facere. Nec solùm totius mundi compositio, sed minimarum quoque rerum fabrica omnem humanæ mentis, & intelligentiæ facultatem superat. Et si ex ipso mũdo quid demant, vel addant, vel immutent, totam eius pulchritudinem, & sanitatem corrumpent. Cur tandem adhuc, inquit Epicurus, in mundo res noxiæ, & pestiferæ sunt? cùm Deus author malorum nullo pacto sit? Primùm illarum obscura, nondũ a nobis reperta vtilitas est. Deinde si alijs noxiæ, alijs animantibus vtiles sunt. Postremò idcirço data est homini sapientia, vt res sibi vtiles a nocẽtibus secernat. Verũ hac de re altero libro disputabimus. Sed quæ tanta in homine demens superbia est, vt credat se opera Dei posse cognoscere, & diuinam virtutem suo ingenio metiri? Cernuntur quidem oculis opera Dei, sed ipsorum ratio nulla nostra intelligẽtia comprehendi potest. Quo enim modo mortalis immortalia percipiat?

Veni

Veri theologi, & primi philosophi mundum à Deo factum dixerunt; sed theologi ex nihilo, philosophi ex aliqua subiecta materia. Cap. II.

SED præter rationes valeat authoritas primùm sacrorum scriptorum; tum primorum philosophorũ, qui mundum à Deo factum dixerunt. In sacris libris le-
Gen. 1. gimus In principio creasse Deũ cælum, & terrã: &, Qui
Eccl. 18. viuit in æternum creauit omnia simul. quod fides nostra accepit, & omnes theologi asseuerant. Primi quoque philosophi (ne Sibyllas memorem, quæ idem testatæ sunt) Deum fecisse mundum prodiderunt, Mercurius Trismegistus, Orpheus, Pythagoras, Plato, Zeno. Et a septem totius græciæ sapientum temporibus vsque ad Platonem pro confesso habitum est, mundum a Deo factũ esse. Poëtæ quoq; omnes, qui etiam theologi, & philosophi fuerunt, Iouẽ omniũ patrẽ appellãt; quòd vnus Deus omnia procreauerit. Patris enim appellatio a generando est. Nec tamen credas velim philosophos idem, quod nos de mundi opificio sensisse. Nam illi mundum quidem a Deo, sed ex aliqua materia fabricatum putãt: nos verò diuinitus edocti ex nihilo creatum credimus. Et quò meliùs res hæc tota explicetur, operæprecium erit aperire discrimen, quod inter creare, & facere Christiani theologi doctissimè constituerunt. Facere ipsis est quicpiam ex proposita re aliqua conficere, vt ex luto figulus ollam fingit, & ex marmore fictor statuam fabricatur: creare verò est ex nulla subiecta re, nimirũ de nihilo aliquid efficere. Itaque ante creationem nulla materia extat, sed ante factionem; veluti lutum, aut marmor ante ollæ, vel statuæ fabricam. Proinde qui creat, & materiam, & opus conficit: qui verò facit, tantummodò materiam perficit; neque ex eo, quod omnino nõ

est, nimirum ex nihilo suum opus facit, verùm ex eo, quod in rerũ natura quidẽ est, non tamẽ est id, quod ipse facit. atq; cũ factione coniuncta est subiectæ materiæ mutatio; cum creatione verò nullius materiæ mutatio est. Nos igitur sacram doctrinam edocti mundum a Deo creatum de nihilo prædicamus: philosophi verò etiam à Deo, sed ex aliqua subiecta materia factum argumentantur.

Philosophorum de prima materia variæ opiniones. Cap. III.

NEC tamen omnes ex eodem initio natum mundum asserunt. Nam quidam ignem, vt Heraclitus; quidam aërem, vt Anaximenes; quidam aquam, vt Thales; quidam, vt Empedocles, cum igne, aëre, aqua terram annumerantes, hæc quatuor principia constituerunt; è quibus tanquàm seminibus orta, generata, concreta sint omnia. Verum Aristoteles videns hæc elementa non esse simplicia, quoniam forma, & materia constant; & inter se mutari; quod verò propriè est elementum, esse simplex; & quæ mutantur communẽ materiam habere, quæ mutuam ipsorum mutationem recipiat, aliam his elementis superiorem materiam docuit, simplicem, nihil aliarum naturarum habentem, sed solam facultatem naturas omnium recipiendi. atq; hanc facultatem eius esse naturam. Et quanquàm ex se simplex, & informis est; tamen quia per se consistere non potest, & semper aliquibus formis affecta est, ipsam vocat inseparabilem, & eandem semper; quòd eandem vim in omnes formas mutandi sui retineat; asseritque nec genitam vnquàm fuisse, nec interituram aliquando. Anaxagoras rerum principiũ chaos posuit, hoc est, materiam quandam rudem, & variam, continentem omnium permixta semina: quæ diuina mens digerens, ac suis

ſuis quæque locis diſpenſans, mundum artificioſè fabricata eſt. Cuius ſententiam Ouidius eo in libro, quem Metamorphoſim inſcripſit, ſequutus eſt.

Lib. 1. *Ante mare, & terras, &, quod tegit omnia, cælum,*
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigeſtaque moles,
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.
Hanc Deus, & litem melior natura diremit.

Gene. 1. Quamobrem errant, qui cum illis verbis Moyſis In principio creauit Deus cælum, & terram, cenſent hæc Ouidij carmina conſentire. Nam Ouidius ex informi quadam, & impolita materia mundum canit effectum: Moyſes verò nulla ex re procreatum ait. Omitto atomos, hoc eſt, corpuſcula quædam indiuidua; quas excogitauit Leucippus, accepit auditor eius Democritus, & tradidit Epicuro: è quarum fortuita concurſione, & coniunctione propter ipſarum diſſimiles figuras res varias effingi docuerunt. Sic porrò quæuis res poſſet e quauis re oriri: & cùm ipſæ atomi, ipſorum ſententia, nullam qualitatem habeant, quæ aut ſenſu, aut intelligentia percipiatur, non video quo modo res vlla ſentiens, aut intelligens poſſit ex ipſis fieri. Sed cùm alij, tum Ariſtoteles iſtorum atomos è medio reiecit. Cumque omnes philoſophi præter materiam, efficientem cauſam aliquam cõpotem rationis dederint, ſoli Epicurei nullum mundi certum authorem volunt, præter caſum; qui multum abeſt a conſilio, & ratione. In hoc tamẽ omnes errarunt, quòd materiam rerum, è qua orta ſunt omnia, effectam a Deo noluerunt, ſed habere, & ſemper ſuam habuiſſe naturam.

Quòd

Quòd prima rerum omnium materia sit etiam effecta à Deo. Cap. IIII.

SI enim Deus materiam non effecit, sed ab alio accepit, erit eo, qui materiam comparauit, inferior. nam maius est propria facere, quàm aliena componere: sicut natura præstat artifici; cui materiam artis præbet. Atqui Deum vocamus, quo nihil est maius, atque præstantius: quoque inscio, vel inuito nihil fieri potest, aut potuit. Ij Deum fabro similem putant, qui polit, non facit materiam; quoniam imbecillis est, definitæque virtutis. At in Deum nulla cadit imbecillitas: cuius immensa, & infinita virtus est. Quam infinitam Dei virtutem non res, quæ procreantur, quia nihil, quod procreatum est, est re ipsa infinitum; sed modus, quo procreantur, ostendit. Is autem est, quo aliquid de nihilo facit. Quòd si Deus materiam non effecisset, sed tantùm sibi propositam varijs modis affecisset, nihilo maiorem vim, & facultatem habuisset, quàm habent causæ naturales; quæ nullã rem creant, sed subiectam sibi materiam tantummodò formant, seu potiùs insitas illi formas in lucem educũt: nec immẽsa foret eius virtus, sed certa, & definita. Oportet autẽ Deũ, qui præstantissimus omnium est, summæ virtutis esse. nõ esset autẽ summæ virtutis, si non penderent ab ipso vniuersa. Quòd si a Deo pendent vniuersa, est etiam materiæ author, & procreator Deus: alioquin Dei nomen, & potestatem amitteret, si foret aliquid nõ effectum ab ipso. Verùm negabunt ab vllo creatam esse materiam, sed semper a se extitisse. Ipsa igitur est initium sui, nullique subiecta, immutabilis, atque omni ratione, & modo perfecta. Nam quod a se est, huiusmodi est. Atqui huiusmodi non est, nisi solus Deus; qui nullum sui extra se principium habens, nulli paret, nihilq; extra se quærit, seque solo beatissimo in omni æterni-

tate iucundissimè fruitur. Hæc de materia, quæ semper multis modis mutatur, & motu cietur alieno, & semper est appetens formæ, manca ex se, & imperfecta, & rationis expers, dici quo modo possunt? Nec profectò conuenit cum mutabilitate æternitas. Quinimmo ipsi angeli, quamuis immortales sint, quia sunt omnis concretionis expertes, tamen ortus sui principium ab alio ducũt; Deo scilicet, quem vnum semper amant, & appetunt; a quo videlicet sunt. Idque Aristoteles etiam fatetur. alioquin si a se ipsis essent, perfectissimi, & beatissimi se ipsis forent; ac deinceps Dij. non est tamen nisi vnus Deus, vnum rerum omnium principium immutabile, & æternum. Sunt angeli a Deo, & non erunt cæli, & elementa, & eorum materia; quæ nec dignitate, neque nobilitate, cum angelorum natura conferri possunt? Et si mundum, quia certam habet magnitudinem, factum esse ab aliquo probatur; & materiam, cuius finita est quantitas, ab aliquo factam esse oportet. Videnturque philosophi tantùm de harum rerum inferiorum materia loquuti fuisse: quid de cælorum materia dicent, quæ multum ab elementorũ natura differt? An quia nostros sensus effugit, qualis sit percipere non potuerunt? Et si cælorum materia non ab alio effecta, sed a se est, cur non etiam eorum motus erit ab ipsis? Tandem si materia sine forma per se consistere non potest, & a se informis est, neq; a se ipsa, cui pati non facere, moueri non mouere conuenit, sed ab aliqua alia causa formatur, quo modo semper a se extitit? Quòd si potuit sine forma consistere, est sua forma etiam naturæ ordine prior. quod nunquàm philosophi concedent. Et cælorum materia si informis primùm fuit, tum formata, mutationem vtique sui passa est. Quare si cælorum materia mutata est, cur non etiam cæli mutabiles sunt? Et (ne longior sim) si cælorum, & elementorum materia fuit semper formata, quid a Deo in hac mundi fabrica factum est? tantùm mundi partium

tium ordinem a Deo constitutum dicent. Sed iam satis probatum est non potuisse Deum res inter se componere, & alias alijs subijcere, nisi illas procreasset. In hæc absurda philosophi ex eo venerunt, quòd sibi persuaserant non posse quicpiam ex nihilo ne a Deo quidem fieri: cuius virtutem infinitam esse negauerant.

Quòd mundus non sit æternus. Cap. V.

SED ad philosophorum argumenta, quibus æternitatem mũdi probant, respondẽdum singillatim est. Primùm Aristoteles mundum æternum, ac nullo ortu generatum sic probat. Si ortum haberet, aliqua ex re necessariò constaret, quam sine dubio mutatam fuisse oporteret. Non enim de nihilo quicquam fit: neque est vllus sine mutatione ortus. Cuius quidem mutationis neque initium reperiri potest, neque finis. Nam si materia, ex qua factus est mundus, semper extitit; atque etiã is, qui illam mouit, atque mutauit, semper adfuit, semper vtique mundus fuit. Necesse etenim est, dum vnà adsunt & is, qui mouet, & id, quod mouetur, motor, vt ita dicam, & mobile, vt etiam id extet, quod ex his aptum est effici. atqui motor, & mobile semper ab æterno tempore extiterunt. Itaque concludit mundum necessariò semper fuisse. Nec videre se quidam dicunt, cur Deus otiosus, & nihil agens tamdiu fuerit, & repente mundum ædificare cœperit: tanquàm innumerabilibus seculis ante dormierit. Hoc Aristotelis argumentum tunc sanè valeret, cùm Deus vim creandi nullam haberet, nullamque voluntatem, hoc est, actionum suarum potestatem. At quãdo Deus vim habet infinitam, potisque est res de nihilo creare, neque vlla naturali necessitate, sed sponte, ac sua voluntate mouetur; neq; esse potest nisi vnum rerum omnium principium, quod a se sit, reliqua ab hoc vno pendeant; absque vlla

hæsitatione mundũ a Deo ex nihilo procreatũ aio. Sed contra nos etiam alij pugnant; obijciuntque mundum, si factus esset, posse dissolui: tamẽ non posse; quia materia, ex qua res istæ, quas cernimus, oriũtur, semper est eadẽ, neq; vlla vetustate consumitur. Ex quo etiã negant ortũ esse mundũ; quia nunquàm sit ad interitũ peruenturus. At nos, qui mundum a Deo ex nihilo creatum dicimus, etiam concedimus ab eodem posse dissolui, & in nihilũ redigi, a quo ex nihilo effectus est. Quem si fortè vnquàm dissolueret, cùm sapiẽtissimus sit, summo consilio id faceret. Ac sanè isti philosophi cùm animo vidissent ab vno principio pendere oportere vniuersa, quærẽdum hoc vtique ab illis fuit, an Dei virtus tanta sit, vt de nihilo possit aliquid efficere: quàm cùm infinitam cognouissent, facilè assensi essent a Deo mundum ex nihilo factum. Verùm ipsi inscienter mundi ortum negantes, tum Dei virtutem certis terminis descripserunt, tum sapientissimum, ac potentissimum authorem, & moderatorem vniuersorum naturali quadam necessitate perperam, & nequiter obligarunt. Ijdem philosophi, qui mundum æternum statuunt, instans tempus, quod Nunc vocant, definierunt esse præteriti temporis extremum, venientisque principium. hanc ipsi definitionẽ instantis temporis deinde vsurpantes, mundum nunquàm ortum esse confirmant: quia non sit vllum tempus instans, cui non aliquod tẽpus antecesserit. Itaq; nõ videre se aiunt tempus vllum, quo moueri mundus incœperit. Pulchrè equidem quod volunt efficiunt ex eo, quod ipsi constituunt. Nos contra, qui mundum vnà cum tempore factum asserimus, damus quoddam principium temporis, cui nullum aliud tempus anteiuerit: nec inter mundum, & Deum aliud intercessisse dicimus, quàm æternitatem. Illud verò argumentum satis puerile videtur, Si mundus ortus est, aliquando non fuit. at hæc vox Aliquando aliquod tempus significat. quare aliquod tempus fuit, nul-

nullum cùm esset tempus. quod ne in cogitationem quidem cadit. mundi enim conuersio tempus facit. Verùm huius orationis, cùm dicimus aliquando mundum non fuisse, non est iste sensus, quem ipsi exponunt, nimirum aliquo tempore mundum non fuisse, sed nullo vnquàm tempore fuisse. Nam vox hæc Aliquando adiuncta voce, quæ negat, non aliquod hic ponit, sed omne tempus tollit. Illud magis ridiculum est, quærere in quo loco esset Deus, cùm mundum fabricaretur. Non enim Deus corporatus est, vt locum vllum occupet. Sed & ipse mundus quæro quonam loco circumscribatur? Si nullo mundus loco concluditur, nec vtiq; Deus; qui ab omni concretione liber, & solutus est. Nec porrò mundum ideo creauit, quia vlla re egeret, qui vniuersa possidet; sed vt suam bonitatem, atque diuitias impertiretur. Hæc enim boni natura est se se communicare, atque diffundere. Nec antè creauit; quia illi non antè collibuit; vt intelligas illum sua voluntate, non vlla necessitate moueri. Nec ante creatum mundum otiosus, & nihil agens fuit. nam semper se ipsum, & in se ipso cuncta, quæ sunt, fuerunt, & erunt, contemplatur, eandem intelligētiam, & voluntatem semper habens. Iam argumenta, quæ subnectunt, ab æterno quidem tempore mundum extitisse, sed tamen creatum probant. Aiunt enim Deus ab æterno tempore potuit mundū creare; ac voluit. ni enim voluisset, vaga, & mutabilis eius voluntas extitisset: siquidem quod antè noluerat postea voluisset. at nefas est credere Deum mutabilem esse. Ad quod facilis est responsio. Nam asserimus Deum semper eandem voluntatē habuisse procreandi mundū; noluisse tamē æterno, sed certo, ac stato tēpore procreare. Vnde si qua mutatio contigit, nō diuinæ volūtatis fuit; sed rerū, quæ cùm antea nullæ extarent, postea esse cœperūt. Vrgēt præterea sic, Mens diuina est mundi huius tam præclari, ac tanti operis exemplar: quod quia constat æternum esse, vnum

sem-

semper,& idem, necesse quoque est opus, quod ad huius ideæ similitudinem fabricatum est, perpetuum, ac sempiternum esse. nam eorum, quæ inter se conferuntur (relatiua Dialectici apppellant) hæc propria vis, & conditio est, vt quia sub eandem rationem cadunt, alterum sine altero intelligi nequeat. Istud equidem non inficior: verùm quæ sub eandem rationem cadunt, tunc inter se conferimus, cùm ea simul esse videmus. Neque enim Adam vocari pater Abel priùs debuit, quàm illum genuit, nec domus, & idea domus antè secū conferuntur, quàm simul extent; quamuis artifex ante domus ædificationem ipsius exemplar animo, ac cogitatione confinxerit. Non aliter quæ a Deo procreata sunt, tunc ad Deum vt artificem, vt parentem, vt dominum, vt rectorem, ac moderatorem referri cęperunt, cùm esse incęperunt; licet sint in diuina mente semper ex ipsa æternitate versata. Insuper obijciunt efficientem causam, ni quid obstet, necessariò quod a se est præstare. Deum verò ex æterno tempore fuisse. Hoc de causa dicant, quæ naturali vi, & necessitate mouetur; vt ignis non potest admotam materiam non vrere. at Deus sponte, nulla naturali necessitate sua opera facit, ac quæ vult facit, cùm vult: potestque omnia, quæ vult, facere. His, & huiusmodi alijs argumentis, quæ sciens prætereo, ne multus hac in re uidear, docent præter id fortasse, quod volunt, non tam non creatum mundum, quàm a Deo ex omni æternitatę creatum. An verò ab infinito tempore creari potuerit, alia sanè quæstio est. tamen omnes sapientiores viri vna mente, & voce consentiunt, oportere causam efficientem intelligi semper aliquo modo priorem effectu: decuisseque diuinam maiestatem mundum aliquo stato tempore fieri, ne res procreata procreatori suo crederetur æqualis; vt Deus esse mundi opifex, & ædificator agnosceretur, nec ipse mundi opera, sed mundus ipsius ope, & numine indigere videretur; vt infinitā

vim suam,& liberam suarum actionum potestatē ostenderet. Sed nos minimè de æternitate mundi, sed de ipsius gubernatione disserimus. Ad quam disputationem insuper facit videre an sit animatus.

Quòd mundus non sit animatus. Cap. VII.

NAM sunt qui mundum animatum putant, regique ab anima, sicut quoduis aliud corpus viuens. Quam animam quidam esse ipsum Deum censent,a quo fabricatus est,vt Orpheus,Zeno, Varro;quorum supra memini: quidam non Deum,sed mentem a Deo prognatam mundi animam esse autumant, vt Platonici.quos sequutus Virgilius inquit,

Principiò cælum, ac terras, camposque liquentes, Aeneid. 6.
Lucentemque globum Lunæ,Titaniaque astra
Spiritus intus alit;totamque infusa per artus
Mens agitat molem,& magno se corpore miscet.

Quòd autem Deus non sit mundi (vt hoc verbo vtar) essentialis forma,quæ est rei ratio,& natura,multis argumentis refelli potest. Sic enim mundus nullum ortum habuisset,cùm eius anima semper fuerit: aut mundum Deus tanquàm ergastulum quoddam composuit,quo se se includeret. Adhæc cùm Deus simplex sit, idem semper,& vnius modi, si cuiquam rei admisceretur, simplex minimè esset, nec deinceps perfectus,multumq; de sua dignitate,atque amplitudine deperderet. Tum si Deus se ipso totum mundum informat, cùm sapientissimus sit, & immortalis, omni æternitate durans, erunt etiam omnes mundi partes rationis compotes, & æternæ. Qualis enim est rei forma, talis etiam est eius conditio,& natura. Et si mundus est Deus,erunt etiā omnes

partes

partes eius Dij. Quæ omnia quàabsurda sint nemo est, qui non videat. At non Deũ, sed mentem aliquam enatam à Deo esse mundi formam asserunt. Eodem modo si mundus intelligens, & sentiens est, erunt omnes eius partes sẽsu aliquo,& intelligentia præditæ. Oportet autẽ sentientem esse mundum. nam omne corpus animatum aliquo sensu instructum esse necesse est. Dolebit igitur quandoque mundus, quandoq; gaudebit; & accessionem aliquam,& decessionem patietur. Quis autẽ est tam insanus, qui censeat mundum aut dolore angi, aut lætitia perfundi, aut crescere, aut decrescere? Et si ea, quæ huiusmodi sunt, sunt dissolubilia, & caduca; mundus quoq; caducus, & dissolubilis erit. Et si eius anima immortalis est, cur non etiam partes eius omnes immortales sunt? Nec illud, quod contra nos assumunt, rectè sequitur; Sunt in mundo animantia; ergo & mundũ animatũ esse decet. Non enim quia domum incolit homo prudens, & sapiens, ideo par est domum intelligentem, ac sagacem esse. Est autem mundus quasi commune quoddam domicilium animantium, & mentium diuinarum; quas angelos nominamus. Non est igitur animatus mundus. quare non ab anima, sed a Deo, non tanquàm a sua essentiali forma, sed tanquàm ab opifice regitur. quod deinceps demonstrandum est.

Quòd Deus sit moderator vniuersi. *Cap. VIII.*

CVM autem a Deo mundus effectus sit, opus omni ex parte perfectũ,& absolutũ, quo nihil maius, nihil pulchrius, nihil dici, aut cogitari potest vtilius, cuinam dubium erit, quin ab eodem gubernetur, atque regatur? Amentis porrò est fateri Deum mundi authorem, & negare moderatorem; quasi ea, quæ fecerat, tanquàm deformia, & inutilia contempserit: aut eorum, priusquàm

quàm ipsa crearet, nullam curam, & rationem habuerit. Poëtæ sua carmina lubentissimè legunt; pictores tabellas suas nunquàm admirari desinunt; nec vllus est artifex, qui suo opere non delectetur. Deus tam præclarum, tam artificiosum, tam magnificum, atque diuinum opus manuũ suarum despiciet? Parẽtes pignora sua diligunt: Deus prolem suam maximè insignem, & egregiam, quæ mentis suæ gerit similitudinem, non charam, non iucundam habebit? Et pulchrè quidem poëtæ Iouem vnicè filiam suam Venerem diligere, amare, amplecti confingunt: quoniam procreator omnium, & parens Deus vniuersitatem rerum, in qua diuinæ bonitatis suæ quædam resonat imago, semper oculis, amplexuq; contineat. Quamobrem impiè, & inscitè faciunt, qui Deum remouent ab operis sui, quod mirificè amat, procuratione. Et benè Stoici dicunt, nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse; nec constare posse, ni summa ratione regatur. Nam vt domus sine habitatore dilabitur, & nauis sine gubernatore iactatur, & corpus sine anima dissoluitur, quia sine rectore consistere nequeunt; sic mundus diuina ratione perfectus sine diuina virtute, & prouidentia regi, & conseruari non potest. Verùm Epicurus Deum nil curare inquit; quia beatus. beatus autem tranquillè, & quietè viuit, omni cura, & solicitudine vacuus. si verò tot, & tantos rerum motus, vicissitudines, ordines gubernaret; tum corporis membris defatigatus, tum animi commotionibus turbatus, sine vlla quiete, & tranquillitate viueret. Quænam est ista beata quies, quæ omni sensu, & intelligentia caret? Nec videt Epicurus se Deum omni potestate priuare, dum eum omni cura liberat. nam potestatẽ habere, est curam gerere: & nihil prouidere, est nullius rationis compotem esse. At molestam dicet, & laboriosam esse hanc curam. Si nullum laborem in creando mundo sensit, neque in gubernando sentiet. non defatigatur membris, qui va-

cuius est corpore; neque vlla perturbatione afficitur, cui pro sua voluntate cuncta eueniunt; neque huc, illucque excurrit, qui vbique semper est præsens, mens infinitæ virtutis, atque scientiæ, omnibusq; bonis, & lætitijs cumulata. Etenim si est Deus, agat aliquid oportet. nam qui nihil omnino agit, in rerum natura nequicquam esse videtur. & si ipse est mens præstantissima, summi consilij, & rationis capax, decet eum nobili aliqua, & insigni, rerum inquam maximarum, & pulcherrimarum actione instructum esse. at nihil mundo maius, nihil pulchrius esse videtur. Deo igitur digna est mundi administratio. ni fortè existimes Deum aut ignorare rationes, quibus vniuersitatem regat; aut vim tantam non habere, qua tot, ac tantas res tueatur; aut optimam prolem suam, pulcherrimamque despicere: verùm & ignoratio rerum nulla in Deum cadit; & imbecillitas naturæ a cœlesti numine aliena est; & animi prauitas a diuina mente abhorret. Melius sanè fuisset nunquàm fecisse mundum, quàm factum negligere. Nec sapientis est opera sua contemnere; quæ consilio suscepit, ac ratione perfecit. An non Deus mundum ideo creauit, vt bonitatem suam rebus alijs communicaret? Cur igitur bonitatem, quam in creando demonstrauit, non demonstrabit in gubernando? Quin etiam ijsdem rationibus, quibus probauimus esse Deum, probare possumus eundem esse moderatorem vniuersi. Nam quia præstantissimam aliquam naturam esse necesse est, quæ diuersas rerum naturas, atque contrarias certo inter se fœdere vinciat, fieri nequit, vt non eadem mẽs illas in eadem conciliatione, & consociatione retineat. Istud sanè est mundum regere, & moderari. Si mundi pulchritudo, si varietas, & ornatus, si rerum omnium vtilitates, & opportunitates te monent Deum aliquem esse tanti operis ædificatorem; & perennes cælorum motus, perpetui siderum cursus, ratæ, & æquabiles conuersiones cum admirabili, incredi-

credibilique constantia, temporum ordo,& vicissitudo, rerum statis temporibus certa, & rata renouatio; omnium postremò consentiens, conspiransque cognatio mundum summo consilio, & ratione gubernari admonebunt. Nec quisquam est, qui quanto consilio, & arte ista gerantur vllo sensu, ac cogitatione assequi possit. Volunt insuper philosoppi motum omnium, quæ in mundo mouentur, ab vno principio duci, quod det motum alijs, ipsum omni agitatione,& motu vacuum. Atq; hoc motionis, qua cuncta agitantur, principium numen diuinum esse confirmant. Cur igitur in controuersiam adducunt, an mundus ab eo regatur, a quo mouetur? Si versat mundum, si mouet omnium vires, si ciet appetitiones, profectò & temperat,& regit,& moderatur vniuersa. In quo enim mouendi cætera, in eodem quoque moderandi, ac regendi potestas est. Ac dum alia mouet, vt certis illa locis, aptisque composuit, sic in proprios fines dirigit. Nullum autem finem in rerum vniuersitate ponere, est omnem boni rationem, & naturam extinguere: quoniam sublato fine, tollitur etiam bonum: cùm sit eadem ratio vtriusque. Iam non omnes res finem, quò feruntur, vident; nisi quæ rationem habent, quæque animi cogitationem,& consilium sequuntur. Cùm verò res omnes in fines certos magno consilio, & ratione ferantur; nec ipsæ quid sequantur, quoue ferantur, intelligant; confitendum est eximiam illam mentem, quæ cuncta admirabili sapientia,& ratione composuit, atque in suo quæque ordine conseruat, fines omnium videre, omniumque naturas, & ordinem administrare. Hoc quippè est gubernare, res in finem dirigere. Itaque ex ipsis operibus naturæ, quæ videntur ab intelligentia quadam non errante proficisci, diuinam prouidentiam agnoscimus. Hinc nimirum est, quòd ij, qui inficiabantur naturam omnium parentem ea, quæ facit, vlla ratione, & consilio facere, numen quoque diuinum vl-

lum esse negabant: quòd nulla prouidentia sit, vbi nullum consilium est; neque vllum consilium, vbi nullum propositum, quò consilium referatur. Et quænam obsecro res est in hac rerum vniuersitate, quæ non summo consilio, & arte gignatur? licet quantumuis minima sit? Idque intelligitur ex summa rerum omnium inter se cōspiratione, atq; cōsensu. Quòd si ars, quæ naturā imitatur, nihil sine ratione facit; faciet natura? cuius opera sunt meliora, quàm illa, quæ sunt arte perfecta? Quā de naturæ operibus quæstionem, an ratione vlla, & consilio fiant, existimauit quidem Auerroes ad cognoscendam diuinam prouidentiam pertinere; quia si Deus fines omnium percipit, ac naturas omnium digerit, ac dirigit, perspicuum fit eundem omnia nosse, & omnibus prouidere: sed mox impietatis tenebris excæcatus in nullum veritatis lumen inspexit.

Quòd Deus vnà cum secundis causis operetur. *Cap. VIII.*

QVANDO igitur rerum omnium naturæ ab excellentissima, & sapientissima mente, quæ in nullum errorem vnquàm aut ignoratione, aut perturbatione rapitur, instituuntur, atque parantur; patet primam, ac principem causam cum secundis singula opera moliri. Ni enim cum secundis causis ad omnium rerum procreationem concurreret, ipsa nec designare, nec conseruare vniuersitatis ordinem rectè diceretur. immo etiam cuncta, quæ fiunt, plus primæ causæ debēt, quam secundis; quæ vim omnem habent à prima. Præterea Deus omnium naturas cognoscit, & amat. atqui Deum intelligere, ac velle aliquid, hoc illi est procreare: cuius natura ipsa bonitas, cuius mens ipsa sapientia, cuius voluntas ipsamet potestas est. At quia vbique est, Cap. 10. cuncta proximè efficit. Vnde Iob inquit Deo, Manus tuæ

fece-

fecerunt me. & in Psalmo de Deo legimus, Qui producit fœnum in montibus. cuiusmodi sententiæ permultæ aliæ sacris literis explicantur. Quamobrem non leui errore capiuntur, qui Deum ad procreationem rerum cum secundis causis negant concurrere. Qui quidem ita concurrit, vt illas motus suos exercere, & vires explicare sinat. Concurrit autem tum virtute, quam illis tribuit; tum voluntate, qua illas mouet; tum sapientia, qua ipsis, tanquàm instrumentis artifex in suo artificio vtitur: diuersasque causas ad diuersa opera vsurpat: nec tamen sibi, sed proximis causis res specie similes effingit. At dices videri tibi Deum, si cum secundis causis congruat, sibi sæpe aduersari; ac se ipso quandoque fortiorem, & imbecilliorem fieri: quoniam interdum vna causa cum alia pugnat; & alia aliam vincit. Haud ita est. Nam vt in magistratibus, in quos vnius regis deriuatur authoritas, si qua fortè aliquando dissensio de imperio fit, ea non ab ipsius regis potestate, sed ex ipsorum dissimili statu exoritur; sic in rerum causis, in quas diuina vis diffunditur, si qua interdum pugna est, ea non à diuini numinis natura, sed ab ipsarum conditione prouenit. Deus enim se omnibus quidem communicat, non tamen vno omnibus tenore, sed diuerso pro sapientiæ suæ modo, & ratione: ac superiores causas validiore, inferiores minore opere iuuat. Attamen Auerroes negabit Deum, quem in summo cælo collocat, ea, quæ sub cælo sunt, aut aspicere, aut velle curare; quòd indignum ipso foret, illis prouidere. Retinuit dignitatem suam res minimas creando; & non retinebit gubernando? Non ne sunt omnia sua opera? non ne in omnibus eadem virtus, sapientia, & bonitas diuina elucet? An minùs artificiosa, & miranda tibi videntur minora opera, quàm maiora? aut minùs ordinata, quàm superiora, inferiora? Quòd si vniuersa inter se mira sunt ratione ordinata, neq; ordinari nisi ab vna aliqua singulari mente potuerunt; quæ

Psal. 103.

dubita-

dubitatio est, quin ab eadem quoque gubernentur, atq; regantur? Neque maiorum rerum cura eum abducit a minorum administratione, qui vbique præsens omnia cernit, & implet: nec sapienti vllum opus suum vile est, quod artificiosè confecerit. Ac quando Deus omnia, quæ in rerum natura sunt, cognoscit, alioquin sapientissimus non esset, si cuiusquam cognitio illius mentem effugeret; atque ea vult in rerum natura esse, alioquin eo inuito aliquid factum esset; certè etiam vniuersa gubernat. Velle enim, & intelligere Dei est non solùm (vt antè dixi) res creare, sed etiam regere, & moderari. Quare si Deus vniuersa intelligendo, & volendo effecit, eadem quoq; intelligentia, & voluntate gubernat: & qui totum mundum tuetur, etiam partes eius omnes tuebitur, è quibus constat. Quam vel minimarũ rerum diuinam curam Christus exemplo passerum cõfirmat, quarum nullam inquit è memoria diuinæ mentis effluere: immo etiam omnes sine vllo suo labore a cælesti numine pasci. Est etenim Deus præsens vbique, neque vllam mundi partem negligit, qui omnes attingit. Satisque suprà demonstratum est Deum omnia cernere. hoc autem est gubernare. Demonstratum quoque est Deum omnia implere. hoc autem est conseruare. Sentit, mouet, regit, conseruatque omnia sua præsentia, virtute, sapientia, bonitate. Quapropter sacra scriptura nos docet Deum in altis habitare, & humilia respicere in cælo, & in terra: diuināq; sapientiā attingere a fine vsq; ad finē omnia, disponentē cuncta suauiter. Deus igitur in omnibus omnia operatur; cui est cura de omnibus. Et cum vbiq; sit potentissimus, atq; sapientissimus, suiq; præclarissimi, & optimi operis amans, certum est à diuina mente totum mundum, atque omnem naturam administrari. Quam continuam administrationem illa Christi verba confirmant, Pater meus operatur vsque nunc.

Matth. 10.

Sap. 8.

1. Cor. 12.

Sap. 6.

Ioan. 5.

Quòd

Quòd Deus rebus humanis prospiciat. *Cap. IX.*

IAM verò, quò volebamus deuenimus, videlicet ad eam quæstionem, quæ a philosophis diu, multùmq; tractata est, cùm de diuina prouidentia disputarent, vtrum rebus humanis Deus consuleret; quandoquidem nonnulli fato, nonnulli fortunæ humanarum rerum euentum adscriberent. Ac philosophorum quibusdam hæc perdifficilis, & perobscura visa quæstio est, tum propter diuini numinis amplitudinem, in qua rerum inferiorum procuratio neutiquàm deceret; tum propter humanarum rerum volubilitatem, & inconstantiam; tum propter improborũ prosperitates, & aduersam fortunã proborũ. Mihi porrò nõ videtur esse hac de re ambigendum. Nam primò satis probatum est Deum etiam minimis rebus prospicere; nec eius dignitatem istis rebus prospiciendo quicquam imminui. Quòd si minimis rebus prouidet; multò etiam magis prouidebit humanis: cùm vniuersi operis sui nobilissima pars sit homo. Nam homo totius mundi refert imaginem. ob quam ab ipsismet philosophis græcè μικρόκοσμος appellatus est, cuius etiam causa res omnes à Deo constitutæ sunt. Etenim eorum, quæ in mundo sunt, quædam indissolubilia existunt, vt diuinæ intelligẽtiæ, quæ semper eædem manent; quædã dissolubilia, & corporea, quæ ex elementis nascuntur. homo ex anima, & corpore constans partem alteram habet immortalem, alteram caducam. Præterea in mundo quædam sine vita, sensu, & ratione tantummodò sunt, vt ea, quæ anima carent; quædam vitam habent, motum inquam corporis interiorem, vt plantæ, & stirpes, quæ terra continentur; quædam cum vita etiam instructa sunt sensu, quæ propriè animalia nuncupantur; quædam sola mente constant, vt Angeli, qui

sunt omnis corporeæ concretionis expertes. at homo & est, & viuit, & sentit, & ratione vtitur. quare in sacris libris quandoque mundus, quandoque omnis creatura vocatur. Quòd si animatæ res inanimis, & rationis capaces præstant expertibus; certè homo & inanimis rebus, & animatis etiam omnibus antecellit. Quin etiā propter hominem Deus est vniuersa molitus: nec solùm inanimæ res, sed etiam animātes hominum commodis, vtilitatibusq; deseruiunt: ac quemadmodum inanimæ res animantibus, sic homini sunt vsui animantes. Omnia igitur nostra sunt. Proinde homo vltimus factus est, cuius causa cætera facta sunt: & in mundum tanquàm in instructam, & paratam domum inductus. Quod Ouidius pulchrè in Metamorphosi cecinit.

Ioan. 1. Marc. vlt. 1. Cor. 3.

Lib. 1.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc; & quod dominari in cætera posset;
Natus homo est.

Non igitur probabile est Deum hominis domicilium, nempè mundum curare, & habitatoris nullam curam habere. Quid? quòd etiam ipsis angelis à Deo est hominum demandata custodia; quos a varijs corporis, animiq; periculis eripiant; atq; à malorum dæmonum insidijs, dolisque tuentur? Atque hæc nobis ex sacris libris clara sunt; in quibus legimus Deum, postquam vniuersum opus absoluit, dixisse, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Idem scribit Mercurius Trismegistus, qui Deum ait omnia fabricatum fuisse propter hominem; delectatumque hominis forma suæ simili cuncta humano vsui concessisse. Stoici quoq; mundum hominis causa factum existimant. Tum etiam Aristoteles cum videret omnia in vsum hominis verti, asseruit nos esse omnium finem; ad quorum vtilitatem

Gen. 1.

tatẽ omnia referantur. Cumq; propter hominem Deus cuncta creasset, tandem hominem sui gratia fecit, quem sui similem creauit; non quòd vlla eius opera indigeret, sed vt esset, qui rerum vniuersitatem contemplaretur; ac cognosceret, & amaret authorem: in cuius beneuolentia sita esset intelligentis naturæ felicitas. Quam diuinam beneuolentiam haud equidem est integrum omnibus animantibus sibi conciliare; dumtaxat ijs, qui ratione vtuntur, quibusque fas est Deum intelligentia percipere, & voluntate amplecti. Ideoq; præ cæteris animantibus hominis curam diuina mens gerit; quia is vnus est, qui numen diuinum cognoscit, & colit. quin immo in hoc, quòd cæteri animantes diuinæ beatitudinis capaces esse nequeunt, Deo nulla est cura (vt S. Paulus inquit) de bobus. Proinde malè de Deo philosophorum quidam quæsti sunt, quòd cæteris animantibus præsentior fuerit, quàm homini: quoniam illis vitam longiorem dedisset, ac munimenta corporis, & ornamenta fabricasset. Nam corporis nostri membrorum omnium opportunitas, ingenij quoque vis, & solertia, orationis etiã facultas, quæ nos ad communionem vitæ cõsociauit, vitam nobis cæterorum animantium victu meliorem, & optabiliorem effecerũt. Nec vita nostra, quàm illorum, breuior est. siquidem nostri corporis temperatio longè melior est, atque præstantior. Et quanquàm in terris caduca, & mortalis est, tamen aliquando in immortalem, cælestemque mutabitur. Quamobrem si Deus præ omnibus rebus, quas creauit, hominẽ maximè diligit; quod diuina Sapientia testatur, quæ delitias suas inquit esse cum filijs hominum; quia quodque sibi similis appetens est; quo modo nullam hominis curam gerit? immo quò magis hominem diligit, eò magis rebus humanis prospicit. Et si pater consulit filiorũ vitæ, & saluti; Deus, qui optimus parens est, homini, quem non modò sui similem fecit, sed etiam per vnigenæ filij sui mortem in cæ-

1. Cor. 9.

Prou. 8.

lestem hæreditatem adoptauit, minimè consulet? Et si boni viri est alijs benè velle, Deus, qui ipsamet bonitas est, homini non benè cupiet? cùm præsertim ad rectam hominis constitutionem vniuersi gubernatio spectet? Quòd si Deus res nostras nullo modo curat, cur Deo pro nobis, nostrisque supplicamus, & oramus, quem exorare non licet? Et nemo quidem est vsquàm hominum, qui non Deum precetur, & auxilium ab eo petat: nimirum quia vt omnium mentes imbuit diuini numinis opinio, sic etiam omnibus persuasum est res humanas a Deo gubernari. Igitur omnium hominum Deo supplicantium consensus, qui naturæ quædam vox est, ac grauissimum testimonium, nobis magnum diuinæ prouidentiæ argumentū esse debet. Eiusdemq; naturæ instinctu quisq; dum in malum aliquod incidit, oculos in cælum attollit, opem a Deo, & auxilium poscens. Nullus autem naturæ instinctus vanus est. Ac quàm frequenter nos Deus a multis non solùm instantibus malis eripit, sed etiam veniētibus liberat; quæ nulla humana ratione præcaueri possent? Quàm etiam sæpe humanos animos præsertim dubijs in rebus afflat, & ad id eligendum impellit, quod vtilius, & conducibilius est? Facit quoque diuinæ prouidentiæ fidem ciuitatū institutio, & gubernatio: quæ nec sine diuino numine institui, nec sine diuina authoritate regi possent. Nam si non esset qui præesset, qui facienda & non facienda imperaret, qui ordines tueretur, qui bonis faueret, malos puniret, nullo pacto retineretur, & conseruaretur societas hominum. atqui Deus ad continendam, & conseruandam hominum societatem alios alijs præfecit. Nam quanam alia vi, & potestate ciuitatum gubernatores administrant resp. nisi diuina? Etenim (vt D. Paulus ait) Omnis potestas a Deo est; & qui potestati resistit ordinationi diuinæ resistit. quia cùm omnia certo ordine cōposita, & designata sint, vis omnis, & authoritas ab ipso re-

Rom. 13.

rum

rum omniū domino, & rectore tanquàm a capite in eos, qui alijs præsunt, deducitur. Quamobrē Christianæ vitæ magistri nos monent, vt regibus, & magistratibus, vtpotè a Deo constitutis obtemperemus. Sic enim retinetur, & conseruatur humana societas: quam qui lædit ius diuinum violat. Quid? prudentiam, qua rectè ciuitatum gubernacula tractant, non ne etiam Deus illis communicat? qui non solùm rationem illis dat, sed etiam rectam rationem. quæ quid sequendum, quid fugiendum in vita sit præcipiens, prudentia nominatur. Neq; enim sumus (vt D. Paulus ait) nos sufficientes ex nobis, tanquàm ex nobis, boni aliquid cogitare: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est: à quo (vt D. Iacobus inquit) bonum omne descendit. At multorum regum, & principum ciuitatum vel improbitatē, vel stultitiam obijcies? Hoc ipsum argumentum probat res humanas à Deo curari: quoniam istorum principum vel improbitas, vel stultitia ciuitates funditus perderet, nisi Deus ipsas sua sapientia, & benignitate seruaret. Dat autem Deus bonos, & malos reges, prout eius vel iustitia, vel misericordia puniri, aut foueri populos postulat.

Ad Colos. 3.
1. Pet. 2.
2. Cor. 3.
Cap. 1.

Voluntatem hominis esse quidem liberam, & sui iuris, sed ad sequendum bonum à Deo moueri, iuuari, & informari. Cap. X.

AT sentio quosdam quærere, si hominum voluntates liberæ sunt, sui inquam iuris, non vlli naturæ necessitati, aut vllius imperio subiectæ, quomodo res humanæ administrantur à Deo? Hic fortè nonnulli longam de hominis libero arbitrio disputationem instituerent; verùm ego paucis primò quid sit hominis liberum arbitrium exponam; tum docebo quo modo regatur à

Deo. vnde perſpicuum fiet Deum humanis rebus proſpicere. Voluntas eſt animi commotio ad id, quod ratio docet appetendum. Appetitur autem id, quod bonum eſt, hoc eſt, aptum, conueniensque naturæ. Et quia bonum perfectionem naturæ deſignat, ideo boni, & finis (nam hæc vox finis notat perfectionem) eadem vis eſt. Quare voluntas in bonum, ſeu finem fertur, in ſuæ inquam abſolutionem, perfectionemque naturæ. Ac quoniam res quæque in ſuo genere perfecta eſſe deſiderat, idcircò perfectionis, ſeu felicitatis appetitio eſt naturalis, ſemper eadem in omnibus, & immutabilis: Nemo enim vſquàm eſt, qui non ſemper velit eſſe beatus. Nec verò de hac appetitione dubitatum vnquàm inter homines eſt, ineſſet ne in omnibus ſemper: ſed quæſitum eſt de eo, quod nos beatos facit; quoniam homines de ſummo bono diuerſa ſentirent. Hanc finis, ſeu felicitatis appetitionem, quæ naturæ modo ſe habet, quidã græcè θέλησιν appellant. Neque ~~enim~~ ſolùm finem, verùm etiam eá, quæ ſpectant ad finem, propter ipſum finem expetimus. Sed tamen de ipſis conſultamus, conducant nec ne ad finẽ; an etiam magis hæc, quam illa conducant. Videre autem quid ex his, quæ in conſultationẽ veniunt, noſtro propoſito aptius ſit, iudicij eſt: optare verò id, quod iudicium probat, eſt electionis. Itaque electio ſequitur conſilium rationis iudicio comprobatum. Eſtque electio voluntatis quidem actio, ſed mentis conformata conſilio. Quare finitur conſulta earum rerum, quæ fieri poſſunt, & a nobis ſumi debent, appetitio; ſiue appetitus intelligens, aut intellectus appetens. Quam appetionẽ, ſeu voluntatẽ in diuerſa ſe ſe agentem, græcè βούλησιν nominant. Ac quia nobis integrũ eſt ex his, quæ ratio inter ſe confert, hoc, vel illud ſumere, aut reijcere; alioquin vana, & inutilis foret conſultatio, ſi nulla daretur electio; ideo facultatem hanc hominis hoc, vel illud optandi liberum arbitrium vocant, hoc eſt, liberam

volun-

voluntatem, nimirum habentem in se ipsa integram potestatem hoc, vel illud eligendi. Quæ facultas eligendi est quidem in voluntate, sed nititur intellectu. qui quoniam diuersas bonorum rationes videt, voluntas etiam a se, nullo cogente ad hoc, vel illud se applicat. Sic legimus in sacris libris Deum in initio constituisse hominem, & reliquisse eum in manu consilij sui. Hoc liberum arbitrium in brutis animantibus nullum est; quia caret ratione, sine qua nulla fit consultatio, quam sequitur electio. Hinc est, quòd actiones, quæ ex electione proficiscuntur, appellantur voluntariæ; nostri inquam iuris; quarum vtique principium est situm in nobis. Igitur in electione, siue libero arbitrio duo spectamus, & rationis vsum, & voluntatis optionem; illius, vt cõsulis, & ducis; huius, vt sequẽtis ductum illius. Quare si ratio falsa fuerit, voluntas a cæco duce ducetur. Quid hominis liberum arbitrium sit explicuimus: nunc quomodo regatur, & iuuetur a Deo paucis ostendamus. Bonum, quod voluntatẽ hominis mouet, atq; ad se allicit, vel est re vera bonũ, vel specie tantùm, non etiã re ipsa bonum. Re vera bonum est id, quod cum recta ratione consentit; quoniam ratio est hominis forma; formæ autem perfectio est cuiusq; rei bonum, atque felicitas. cæterùm virtus ipsa est rationis absolutio. At boni speciem habet voluptas; quæ homini blanditur, sed rationem obcæcat. Intellectum hominis, quia varijs errorum tenebris offunditur, & multis cupiditatis illecebris animus deprauatur, suo Deus lumine illustrat, vt verum cernat, & quid sequendum, aut fugiendum sit, cognoscat. Et felicitatem, quam in hac vita suo studio consequi potest homo, potest quidem humanæ intelligentiæ lumine videre. est enim maximè posita in vsu virtutis. sed hæc imperfecta felicitas est. nam neque mentem rerum omnium cognitione perficit; neque animum omnibus lætitijs explet. Alia igitur quærenda felicitas est: quam obscuro quodam

Eccl. 15.

dam instinctu naturæ quęrimus, sed in quo sita sit in hoc terrestri carcere inclusi per nos minimè videmus, ni cælestis fidei lumen accedat. Nam dum mēs hominis semper veritatem inquirit, non ne primam, & principem omnium causam quærit? quam vbi perceperit, ab omni inquisitione conquiescet. & dum animus nulla voluptate expletur, sed vniuersum bonum expetit, non ne cælestem gloriam desiderat? quam cùm aspiciet, satiabitur. Hoc summum bonum Deus est: sicut in libris de summo bono docuimus. Atqui Deum ex ipsa diuina enunciatione, & doctrina cognouimus. Nec tantùm hominis mentem ad cernendum summum, & æternum bonum Deus illuminat; verùm etiam voluntatem ad ipsum bonum amandum, & sequendum mouet, & informat, certisque auxilijs adiutat. Neque enim bonum, quod intelligentia cernit, mox etiam voluntas ex se ipsa amplectitur. Quæres cur non illud amplectatur voluntas? quoniam (vt paucis respondeam) interdum aliò abducitur ab appetitu. Amat quidem voluntas naturali quodam pulsu inducta ipsam beatitudinem: sed ea, quæ ducunt ad beatitudinem; interdum recusat inire tanquàm obscura, dura, aspera, difficilia, vel non omnino necessaria, vel etiam alio tempore opportuniora, prauæ cupiditatis illecta, & decepta illecebris. Nam ex Adæ peccato primi hominum parentis in hominis sensibus viguit cupiditas cōsilij, & rationis inimica; quæ nos a recto, & honesto in omne prauū, & turpè facinus abstrahit. Hanc innatam in nobis cupiditatem, atque in mala nos concitantem, quam Theologi peccati fomitem appellant, quamque omnes homines in membris suis sentiunt repugnātem legi mentis suæ, nemo sine Dei singulari quodam beneficio coërcere, & reprimere potest. Non ratio in nobis insita; non lex in tabulis inscripta, supplens rationis vsū, & vitia corrigens; sed vna Dei gratia, quæ per fidem Iesu Christi nobis confertur, nos contra cupiditatem fortes,

Rom. 7.

tes,& superiores reddit. Est autem hæc diuina gratia diuinitatis quædam participatio: qua supra naturam, & conditionem nostram elati, filij Dei nominamur, & sumus. 1. Ioan. 3. Nam per hanc gratiam Deus in nobis habitat; & nos Deo similes efficimur, ac cælestis naturæ, hæreditatisque consortes. 2. Pet. 1. Quam sanè gratiam solus Deus largiri potest. Rom. 8. quæ quia homines Deo charos, & acceptos reddit, a Theologis gratia gratum faciens vocatur. Nã sunt alia Dei dona, quæ etiam prauis hominibus ad aliorum eruditionem, & vtilitatem dantur, vt eloquentia, scientia, propheria, & his alia similia. Quæ quidem dona vocantur etiam gratiæ, quia gratuitò dantur, non gratum facientes, sed gratis datæ. Cæterùm gratiæ gratum facientis effectus sunt duo. nam sapientiæ lumine mentem illustrat, & igne charitatis animum accendit. Ex his apertè perspicis Deum ad benè, beatèque viuendum homini consulem, ducem, comitem, adiutorem adesse: quem qui præsentem non habent, vt ij, qui in ipsum non credunt, vel eum vera charitate non diligunt, licet hominum iudicio sapientes, & perfecti sint, tamen sine peccato viuere nequeunt, dominante illis cupiditate: quam sola Dei gratia vincit. Quamobrem Deus, qui est summum, & æternum bonum, ipse se nobis aperuit; & viam, qua ad ipsum iremus, ostendit; & modos comparandæ cælestis gratiæ docuit; & simul auxilia præbuit, quibus vitam æternam consequeremur. Nam præter virtutes, & dona, etiã sacramẽta instituit; quæ ad certorũ operum functiones peculiaria quædã auxilia sũt. Ad nostram igitur beatitudinem duo conueniãt necesse est, & gratia Dei, quæ nos apud ipsum iustos faciat, & nostra voluntas, quæ collatam à Deo gratiam recipiat. quippe nemo saluatur inuitus. Proinde salutis nostræ initium à Deo est, à quo gratia prouenit. At interitus nostri causa tota in nobis est, nulla in Deo; qui vult omnes homines saluos fieri. 1. Tim. 2. Nec cogit Deus hominis vo-

luntatem

luntatem, quam liberam esse voluit, sed boni, quod illi proponit, specie, ac singulari quodam afflatu ciet. Itaque voluntatem nostram tum propositum boni sua specie, tum Deus ipse quodã interiore motu impellit, & regit. Atque ita voluntas nostra mouetur à Deo, vt etiam sua sponte se ipsa moueat. Quòd ni Deus voluntatem nostram regeret, nõ solùm ab æterni boni studio, sed etiam ab omni virtute, & honestate in turpissimas res quasq; & fœdissimas ab innata cupiditate abriperemur. Idque in sceleratis hominibus cernimus; quos Deus (vt Apostolus ait) dedit in reprobum sensum; non quidem illos in malum vllum impellendo, sed nullam illorum curam habendo: quorum salutem propter ipsorum scelera, & flagitia negligit. Quocirca D. Augustinus inquit, nullus hominum agit rectè, nisi diuino adiuuetur auxilio: nullus agit iniquè, nisi iustissimo Dei iudicio permittatur. Ex hac porrò disputatione, quam longiorem esse instituti nostri ratio non patitur, liquet hominum actiones, & voluntates liberas quidem esse, ac sui iuris, sed bonas esse non posse, nisi cælesti gratia diuinitus ad consequẽdum verum, & æternum bonum instruantur. Quare voluntas hominis à Deo paratur; a quo gressus hominis diriguntur. Vnde consequens esse vides, si Deus voluntates hominum, & actiones ad veram, æternamque felicitatem informat, eum satis humano generi prospicere.

Rom. 1.

De Ciuit. Dei lib. 20, cap. 1.

Prou. 16.

Psal. 36.

Non quia voluntates hominum instabiles sunt, ideo res humanæ non administrantur à Deo. Cap. XI.

SED obijcient Deum in his rebus, quas regit, summum, & constantem ordinem tenere; verùm actiones hominum, & voluntates volubiles, & inconstantes esse. Quod tibi dari precaris, mox datũ displicet; cui benè esse vis, si deinde benè sit, doles; quodque tu appetis,

alter

alter repudiat; & ijdem pluuiam optant, quam mox deprecantur. Calores cupimus; & eosdem subitò damnamus, nullaque in sententia, votoque persistimus. Quare aiunt res humanas a Deo minimè administrari; administrari verò res cæteras, in quibus certus, & ratus ordo perspicitur. At quæso aduertant, quòd res, quæ rationis expertes sunt, non possunt non eundem semper tenorem seruare; quia tantummodò naturæ ductum sequuntur, qui semper sibi similis, & eiusdem modi est: tamen quibus liberũ est hoc, vel illud optare, ac mox repudiare quod optarint, horũ mobiles voluntates, & actiones sunt. Ob hoc maior ars, & prudentia in horum animantium gubernatione requiritur, quorum variæ sunt actiones, & studia. Vnde in humanarum rerum administratione fas est maiorem Dei curam, & prudentiam agnoscere: cùm hominũ ingenia mobilia sint, & sibimet ipsis contrariæ voluntates. Nam quandoque tuis votis annuit, ne maleuolum, aut inimicum tibi eum esse putes; quandoque tibi denegat, quod postulas, ne quod hinc malum tibi eueniat. ac voluntates hominum liberas relinquens, nunc imperando, nunc suadendo, nunc hortando, nũc terrendo, nunc commodis, nunc incommodis vitam hominis afficiendo, ac quibusque ingenijs se se prudenter accommodando, tam artificiosè res nostras administrat, vt nemo tantam sapientiam possit intelligentia percipere.

De miro artificio, quo Deus humanum genus hactenus rexit. Cap. XII.

IAM si mundi ætates primam, mediam, & extremam, in quam nos deuenimus, rectè animaduertemus, & ab eius initio vsque in hæc tempora rerum gestarum monimenta considerabimus, profectò singulari sapientia Deum res humanas semper curasse, atq; incredibili

K mo-

moderatione cuncta temperasse cognoscemus. Quam de humano genere diuinam curam argumento Christus confirmat ducto per similitudinem è vineæ cultura: Matth. 10. cuius ingentem curam Deus semper gessit; & ad quam excolendam multos, ac varios pro diuersis temporibus operarios primò patres, tum legis doctores, postremò filium suum misit. Ac paulisper intueamur obsecro qua disciplina, & charitate hominem Deus ab initio eius ortus rexerit, iuuerit, conseruauerit, quibus vijs duxerit, quibus præceptis instituerit, quibus virtutibus ornauerit. Primùm homini rationem inseruit, & quasi in arce collocauit; cuius lumine, quid bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe, quid expetendum, quid respuendum videret. Deinde quia praui appetitus motiones lumini rationis officiebant, vt minùs apertè bonum a malo, & ab honesto turpe discerneret, legem in duabus tabulis inscripsit, quas Moysi promulgandas dedit: in quibus quid agendum, quid non agendum esset sanciuit. Postremò quia diuino auxilio nudatus ea, quæ lex imperabat, minùs exequi poterat, filium suum in terras illi auxilio misit, cuius monitis, & ope mandata diuina conficeret, ac cælestem gloriam assequeretur. Ac videre quidem licet admirabilem ordinem doctrinæ, qua rudem hominem perpoliuit. Nam cùm omnis nostra cognitio ortũ habeat a sensibus, & doctrinæ ordo poscat, vt primò apertiora, & faciliora discentibus proponantur, Deus hominem ab aspectabilibus rebus ad cælestes, & diuinas, quibus nostra felicitas continetur, quasi manu duxit. Idcirco duo testamẽta instituit, alterum, quod vetus appellatur, habens rerum terrenarum promissiones; alterum, quòd nouum dicitur, in quo cælestes honores, & diuitiæ promittuntur. Etenim vt priùs animale 1. Cor. 15. est (sicut S. Paulus ait) quàm spirituale; sic priùs animalis homo, qui de terra est, instruendus fuit, quàm cælestis, qui de cælo est. Vbi singulare diuinæ prudentiæ

mu-

munus, etiam vides, quæ viuendi normā hominum ingenijs semper accōmodauit. Nam infirmioribus hominibus leuiora, sanctioribus grauiora dedit præcepta viuendi: & Iudæum, quem S. Paulus puerum vocat, puerilibus doctrinis exercuit; Christianū verò, quem idem S. Paulus virum nominat, sapientioribus præceptis instituit. atque vt pueros minis, & verberibus a rebus turpibus coërcemus, non aliter Iudæum timoris, Christianum charitatis vinculis obligauit idem Deus; qui solus nouit; quæ humano generi suis temporibus conuenirent, dare præcepta, tanquam optimus medicus suis horis ægrotanti medicinam præbere. Semper etiam populi sui duces idoneos elegit, ad inducendam circumcisionem fidelem sibi Abrahamum, ad promulgandas leges diuini honoris studiosum Moysem, ad pronunciandum Euangelium Apostolos; quos humiles, & illiteratos delegit, vt in fundanda Ecclesia non humana, sed diuina virtus agnosceretur. Præterea pro populorum meritis reges creat nunc tetros & immanes, quorum asperitate subiectorum immoderatio coërceatur; nunc mites & humanos; quorum benignitate subiectorum bonitas foueatur. Ac mira arte populum sibi charum modò peccantem vindicat, modò pœnitentem amplectitur; nunc fidentem humanis viribus deserit, atque ab aduersarijs vinci sinit, nunc victum, ac iacentem erigit. Sed & aduersariorum vires nunc auget, vt insolentiam populi sui cohibeat, nunc imminuit, vt eius afflictionem leuet: nec aliter hostis sui audaciam Deus ad reprimendam populi sui petulantiam alit, ac magister flagellum ad refrænandam discipulorum licentiam asseruat. Itaque olim ad domandam Hebræorum impietatem potentes reges aluit, & nunc etiam ad coërcendam Christianorum proteruitatem Christiani nominis hostium potentiam tuetur. Animaduertisti doctrinam Dei, & prudentiam singularem, quibus humanum genus ad benè bea-

Ad Galat. 3.
Ibid.

teque viuendum instituit, & rexit: nunc incredibilem charitatem attende, qua nos vehementissimè dilexit. Nā homo fieri voluit, & inter homines versari, vt errantes in viam veritatis reduceret, ac sua nos manu in cęli possessionem induceret. atque etiam Ecclesiam, a qua suo sanguine lauit sordes omnes, quamque sibi sponsam adiunxit, singulari sapiētia, & amore educauit, amplificauit, confirmauit, & ab innumeris periculis, & malorum tempestatibus tutatus semper est, atque tutatur. cui videlicet semper est, atque erit præstò non solùm spiritu, sed etiam corpore : sicut ante suum ad cælos ascensum edixit nobiscum semper fore vsque ad consumationem seculi. Quòd si Deus nobis filiū suum dedit, quo modo
Rom. 8. (vt cùm S. Paulo dicam) non cum eodem omnia donabit? Profectò Christi incarnatio, atque pręsentia maximum est diuinæ prouidentiæ, & amoris erga nos argumentum. Non igitur ita diligenter pastor gregi, & pater filijs, vt Deus humano generi prospicit. quique vt rerum bonarum, malarumque naturas planiùs cognoscit, ita rebus humanis meliùs consulit, quàm ipsimet homines; quorum mentes sæpe varijs erroribus implicantur, & animi à virtute, & honestate frequēter voluptatibus abducuntur. Et vt clariùs intelligas quantæ curæ Deo sint res humanæ, vnum Christi testimonium no-
Matth. 10. ta, qui inquit, Si nulla passerum in obliuione Dei est, multò minùs homines erunt, qui passeribus meliores sunt. immo etiam omnes capillos capitum nostrorum
Ibid. coram Deo numeratos esse cōfirmat. Quòd si te ista minùs fortè mouent ad credendum res humanas a Deo gubernari, moueant pœnæ, quas interdum scelerati homines contra omnium opinionem dant: in quibus apparet diuinum iudicium factum incredibili prouidētia. & si quosdam impunitos vides è vita discedere, credas eos alio loco pœnas, & quidem grauiores daturos. At si neque argumentorum fides, neque magnorum virorū

authoritas, neque religionis veræ pietas, neque ſcelera-torũ pœnæ quicquam apud te valent; valeãt bona, quæ habes; quæ negare nullo modo potes à Deo te cuncta accepiſſe, bonorum omnium fonte, & origine. Nam quid habes, te S. Paulus interrogabit, quòd à Deo non 1. Cor. 4. accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Infelix, qui Dei bonitatem, & beneficentiam non ſentit. O incredibilem humanarum mentium cæcitatem, quæ inflatæ turbulentis erroribus diuini numinis vniuerſa colluſtrantis radios non aſpiciunt. O nimis ingratas erga regem, & parentem ſuum hominum voluntates, qui nullo honore, nulloque animo memore gratiam illi perſoluunt, a quo vitam, & omnia vitæ cõmoda acceperunt. Fruuntur datis a Deo bonis, & benefici Dei memoriam abijciunt: creatis rebus vtuntur, & procreatori maledicunt. Nos eum, qui nos genuit, qui nos paſcit, qui nos veſtit, libẽter agnoſcamus, colamus, diligamus.

De Fato. Cap. XIII.

SED noſtri curam a Deo præter alios ij quoque eximunt, qui fato hæc fieri volunt. Fatum vocant vim quandam ſiderum certis locis conſtitutorum, nec Dei ſubiectam poteſtati, & hominum voluntatibus dominantem. quam ſiderum collocationem, cùm quis naſcitur, obſeruant. Quare fatalia ſunt, quæ præter diuinam, & humanam voluntatem neceſſariè quodam ex ordine cauſarum eueniunt, Quem ordinem cauſarum ex certa ſiderum inter ſe compoſitione pendentem ſtulti homines cenſent nullo Dei conſilio regi, nullaque eius facultate immutari poſſe, perinde vt ille Poëta inquit,

Quod fore paratum eſt, id ſummum exuperat Iouem.

Atq; autumãt quicquid inter nos accidit, neceſſariò fluere ex certa ſiderũ collocatione. Qui porrò tantã vim ſide-

fideribus attribuẽtes,nõ folùm diuini numinis amplitudinẽ, & dignitatem imminuunt; quoniam ipfum poteftate inferius aftris faciunt: fed etiam noftrarum actionum iure nos priuant; quos fatali cuidam neceffitati fubigunt. At quæro an putent fidera effe animata, nec ne? Si animata falsò cùm Platonicis fentiũt, quo modo fint beata non video, cùm perpetuo motu abfq; vlla requie conuertantur. Quies enim motu optabilior eft. Præterea quoniam decet illa nobilifsimum animantium genus fortita effe, non modò fenfu, verùm etiam ratione prædita effe dicent. fiquidem rationis capacia funt expertibus digniora. quo igitur pacto in illo fanctifsimo, & auguftiffimo Senatu tot fcelera decernuntur, & hominibus quotidie imperantur? nihil enim fponte ab hominibus, fed vi quadam fati eorum fententia fit. Et decet quidem omne flagitium, atque omne fceleftum confilium a cæleftibus, beatifq; animantibus abeffe. Sin cum Peripateticis dicent aftra effe inanimata, ficuti re vera funt, qua ratione præftant hominibus? atque vnde vim eam habent, quæ ne a Deo quidem vinci queat? Ac quando vita, & fenfu carent, motu etiam ex fe ipfis carent. Mouentur ergo ab alijs: nimirum a diuinis mentibus. Atqui cæleftes ipfæ mentes vim omnem fuam Deo acceptam referunt, a quo funt, quemque vnicè diligunt. Ergo vis fiderum maior non eft Dei maximi poteftate, cùm fit intelligentiarum virtute inferior. Sed neque fidera, cùm tot, tantisq; motibus inter fe diffimilibus, atque contrarijs conuerfentur, vllum inter fe ratum ordinem feruarent, ni alicuius præpotentioris vi numinis regerentur. Nec Deus foret princeps omnium caufa, nec diuino confilio, fed cælorũ conuerfionibus, & aftrorum radijs vniuerfitas rerum gubernaretur, fi maior effet virtute diuina cælorum, & fiderum poteftas. Ifthanc de fato a pijs, doctisque viris reprobatam fententiam ij maximè fequi videntur, qui Deum in cælo tantùm effe

affe-

asserunt, ac res mortalium a stellis, quæ cælorum partes clarissimæ sunt, regi, & gubernari affirmant. At satis a nobis supra probatum est Deum esse opificem, & rectorē vniuersi, meare per omnia, ac summa & ima, cælestia & terrestria, mortalia & immortalia moderari. Sed neque a me potest intelligi quo pacto sidera hominum voluntatibus dominentur. Nam vt demus corpora inferiora regi a corporibus superioribus, certè voluntas, cū sit propria quædam animi facultas ab omni corporea concretione, & iunctione soluta, nullo modo a cælesti corpore affici potest. Non enim corpus potest nisi corpus afficere; quandoquidem faciens (vt philosophi docent) quandam habet cum patiente cognationem. quanquàm non inficior videri animum ijs cæli motibus, quibus corpus afficitur, cieri, ea nimirum ratione, qua corporis affectionibus, quocum est consociatus, moueri solet. non tamen ire omnino cogitur, quò affectio corporis instigat; cùm ipse animus dominatum corporis teneat. Proinde illud doctè pronunciatum est,

Sapiens dominabitur astris.

quoniam affectiones omnes animi ratione moderabitur. Et si non cogit Deus hominis voluntatem, quam liberam, & ab omni naturali necessitate solutam esse voluit, quo modo cogent astra, quæ omni sensu, & ratione carentia non solùm à Dei, sed etiam ab hominis dignitate, & conditione multum absunt? At multa prædicunt Astrologi. at sæpissimè a vero aberrant; & fallunt, atque falluntur. Et si quandoque vera aliqua prædicunt, vel (vt S. Augustinus sentit) occulto id fit malorum spirituum instinctu; vel animi propensiones intuentes ex corporum compositione, ad quam astra cum elemētis concurrunt, de cuiusque vita acutè conijciunt. Quid verò dicent de hominibus eadem hora natis? quid de gemellis eodem momento temporis ex eodem vtero in eandem De Ciuit. Dei lib. 6. cap. 7.

dem lucem simul editis; quorum, sicuti Iacob & Esau, dissimiles mores, varia studia, & vitæ dispar est exitus? Verùm contra Astrologorum inanem doctrinam, qui ex siderum obseruatione quæ cuiusque futura sit vita prædicere se nosse profitentur, satis iam a multis excellentissimis doctrina viris disputatum est. Atque vt inscientia est secundas causas primis anteferre, sic etiam impietas est vim tantam astris tribuere. Si enim astra nullis vocibus flecti queunt, neque integrum est Deo nostris voluntatibus fauere, frustra votis, & precibus vtimur: quas nec astra sentire, nec Deus excipere potest; nempe quem dementes homines fatali necessitati subijciunt. Quòd si diuino consilio, & ratione cuncta reguntur, rectiùs fatum vocabimus vel connexionem causarum ex Dei voluntate, quæ omnium causarum princeps est, pendentem; vel ipsam Dei æternam, & immutabilem voluntatem, certo, & constante rerum ordine vniuersa instituentem, atque regentem. qui quidem omnia scit, antequam fiant; & nihil inordinatum relinquit, sed cuncta sapienter, suauiterque disponit. Quem poëtæ summũ Iouem appellant: atque ab eo sapientes viri docent connexionem pendere fatorum. Itaque nonnulli fatum à fando dici volunt, quòd sit Dei iussum, & scitũ, lex inquã ipsa diuina. & Deũ loqui in sacris libris scriptũ legimus, vt ibi, Semel loquutus est Deus, hoc est, (vt S. Augustinus interpretatur) incommutabiliter loquutus est: quemadmodum nouit incõmutabiliter omnia, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Quare fatum finiunt ordinem, seriemq̃ue causarum annexam æternæ, & immutabili Dei voluntati: ipsam verò cælestium orbium dispositionem, quam alij fatum vocant, non quidem fatum, sed fati quoddam quasi instrumentum esse aiunt, quo ea, quæ sub cælo sunt, elementa, & quæ ex elementis orta varijs modis mutantur, tanquàm subiectam materiam tractat. Sic Boëtius Fatum esse finit immobilem

Psal. 61.

De Ciuit. Dei lib. 5. cap. 9.

rerum

rerum mobilium dispositionem, secundum quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Nec verò mobilium rerum mutatio vllam diuinæ voluntatis incõstantiam, sed causarum, a quibus proficiscuntur, mutabilitatem arguit: ipsa Dei voluntas semper est (vt antè diximus) eadem, qui causarum necessariarũ certos effectus, non necessariarũ verò incertos euentus esse voluit; sed quos omnes ipse qui, qualesve futuri sint, semper vt præsentes videt. Itaque Simplicius cathenam illam auream, qua Homerus mundum ab Ioue colligatum fingit, diuinam voluntatem esse inquit, cuius vinculis vniuersa continentur. Ergo fatum nobis erit ordo rerum a diuina mente constitutus, qui a nullo mutari potest. Quam sententiam tenentes, fati nomine rectè quidem vti possemus: sed quoniam vulgus cùm fatum dicit, necessitatem quandam rerum intelligit humana, & diuina voluntate superiorẽ, ideo nos Theologi Christiani fati nomen vsurpare noluerunt.

De Fortuna, & Casu. Cap. XIIII.

NEC minùs amentes, & inepti iudicandi sunt, qui putarunt res humanas a diuina, & communi vi quadam vaga, & volubili nullo ordine, nullaque ratione, sed temerè, & inconsultò administrari. Quam diuinam vim vagam, atque volubilem ideo appellauere fortunam, quia repentina quadam voluntate, & fortuitò, nullam habens neque personarum, neque locorum, neque temporum rationem bonas, malasque res quibusuis hominibus inferat. Vnde illi cornu copiæ, & gubernaculum affingũt, quòd opes distribuat, & humana gubernet. Hanc Deam poëtæ omnipotentem appellarũt; oratores in omni re dominari dixerunt. Hanc eandem Deam nonnulli Iunonem esse docuerunt, atque eam, quam Astrologi partem fortunæ, Ennius heram nuncu-

pat in ea oratione, in qua Pyrrhus Romanorum legatis inquit, Vos ne velit, an me regnare hera. Finxeruntque Poëtæ hanc Deam imprudentem, quia inconſideratè ſine vllo iudicio, & modo ſua dona etiam non merentibus, & improbis largiatur; & propter imprudentiam eſſe cæcam, volubilem, & inſanam; & propter inſtabilitatem ſaxo inſtare globoſo; & propter felices, infelicesque euentus ſemicandidam, & ſeminigram effinxerunt. quanquàm philoſophi fortunæ ſexum immutant, & Deum, non Deam faciunt: quemque interdum naturã, interdum fortunam nominant, cùm efficit inopinata nobis propter obſcuritatem, ignorantiamq; cauſarum. Etenim intelligere oportet effectum indicare cauſam, a qua eſt; & cauſarum alias vniuerſales eſſe, alias ſingulares: atque ab alijs ſemper eoſdem, ab alijs non ſemper eoſdem effectus prouenire. Effectus autem fortuitos, qui quidem raro contingunt, nõ ab vniuerſalibus, ſed a ſingularibus cauſis præter earum propoſitum euenire: vt ſi quid cuipiam homini præter ſpem accidat, id a fortuna accidere dicitur. non tamen id præter diuini numinis conſilium accidit, quo authore vniuerſa geruntur. Quare fortuna philoſophorum ſententia non eſt vniuerſalis, ſed ſingularis cauſa, nec cuiuſque rei cauſa, ſed eius, quæ præter inſtitutum euenit. Differtque a caſu, quòd caſus non ſolum in hominibus, ſed etiam in brutis animantibus eſt: at fortuna tantùm in hominibus, in quos cadit imprudentia. Nullus autem caſus, nullusque euentus Deo fortuitus eſt, qui omnium cauſarum effectus præuidet, ac vult quamque cauſam ſuis legibus vti; nobis autem fortuitus eſt, quia nobis latens, & obſcurus eſt. At vulgus fortunam inquirit in hominis externis bonis, ac malis ac bonorum adeptionem fortunam proſperam, malarũ verò fortunam aduerſam nominat. quæ tamen bona, vel mala neque inſcio, neque inuito Deo cuiquam contingunt: licet cur iſtis bona, illis mala contingant

tingant, ignoremus. Quare fortunam alibi definiuimus, cælestem quandam auram in his rebus, quæ extra nos positæ sunt, secundam, vel aduersam, fluentem a diuina voluntate nobis obscura: cuius nulla ratio a nobis reddi potest. Itaque nihil est neque a fato, neq; a fortuna, quod præter diuinam mentem, & voluntatem eueniat. Isti verò amentes cur Deam faciunt insanam, si nullum numen diuinum est præceps, inopsque consilij? Et si Dea est, bona est. quòd si bona est, cur scelestissimis hominibus se se ingerit? aut etiam cur colitur, si cæca est. quandoquidem cultores sui sæpe, ac facilè deserit, & in sui contemptores incurrit? Quid? quòd magni quidam viri pugnare se cum fortuna, & illam a se vinci gloriantur? quasi mens diuina possit ab humana superari?

IO. ANTONII VIPERANI
DE DIVINA PROVIDENTIA
LIBER TERTIVS.

De bonarum, malarumque rerum diuisione. Cap. I.

AT satis probatum iam opinor est, Deum hominis rebus præcipuè consulere, cuius maximè causa mundum effecit. Sed contra Stoicos disputant Academici, Si mundus hominum causa factus est, cur tot res pestiferæ, & venenatæ, atque hominum naturæ contrariæ, & noxiæ in mundo sunt? Adhoc Epicurus ex malis, quæ hic sunt, ita argumentatur, Deus aut

non vult, aut non poteſt mala tollere. Si non vult, maleuolus; ſi non poteſt, imbecillis; ſi neque vult, neque poteſt, maleuolus, ſimul & imbecillis eſt. Quòd ſi vult, & poteſt, vnde tot nobis mala, ſi Deo curæ ſunt res humanæ? Hoc illis quærentibus vt ſatisfaciam, primùm quid bonum, malumque ſit; deinde quot bonorum, malorũq; genera; poſtremò quæ mala ſint a Deo, & cur ſint breuiter oſtendam. Bonum eſt, quod naturæ aptum, & conueniens eſt. quod autem huius modi eſt, a natura ipſa appetitur. malum verò eſt ipſius boni priuatio: & quò maior eſt diminutio boni, eò maius eſt malum: quod, quia contra naturam eſt, reſpuitur. Cæterùm bona, quæ ad hominem pertinent, vel animi, vel corporis, vel externa ſunt, vt poteſtas, & opes; quæ hominis naturã minimè attingunt; vocanturq; vulgò bona fortunæ, quòd in manu fortunæ poſita credantur. Bona corporis ſunt ea, quæ corporis integritatem, & ſalutem continent, vt robur, & valetudo. Animi bona ſunt, quæ ad animi perfectionem, & decus faciunt. quorum quædam a natura inſeruntur, vt ſolertia, & memoria: quædam noſtro ſtudio comparantur; ob idque voluntaria dicuntur, vt virtutes: quæ ſunt animi rectæ, & laudabiles affectiones. Non aliter mala vel externa, vt ſeruitus, & egeſtas; vel corporis, vt infirmitas, atq; deformitas; vel animi ſunt, aut naturalia, vt ingenij tarditas, & hebetudo; aut voluntaria, vt vitia, quæ virtutibus opponuntur. Ac quantum animus corpori, corpus rebus externis, tantum animi bona bonis corporis, ac corporis bona externis anteponenda ſunt: nec vlla ſunt habẽda verè bona, niſi quæ propter ſe ipſa expetuntur, vt virtutes; neq; vlla in malis ducenda, niſi quæ propter ſe ipſa fugiuntur, vt vitia: reliquorum tantùm vſus attenditur. Iam nulli dubium eſſe arbitror à Deo bonum omne manare; qui fons eſt omnium, authorque bonorum. Ipſius eſt aurum, & argentum, ipſius pecora, & agri, ipſius regna, & imperia.

Ipſe

Ipſe corpus fingit, ipſe animam creat, ipſe vitam, & ſalutem vtrique tribuit. Quin etiam animi voluntaria bona ſine Deo nulla comparare poſſumus: qui nobis non ſolum rationem, ſed etiam rectam rationem dat: quæ cuiuſque virtutis vim, naturamque deſcribit. At malorum quædam ipſe penitus odit, ſcilicet ea, quæ ſunt contra rationem, & dignitatem ſuam, vt vitia, noſtri, inquam, animi prauitates. ſicut à propheta illi dicitur, Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem. quædam affert ipſarum rerum, quæ gignuntur, quæque mutantur, conditio, vt alteratio, diminutio, dolor, ægritudo, diſſolutio. Nulla enim res eſt, quæ omnem bonitatem cõtineat, niſi Deus, qui ſolus a ſe bonus eſt. Quocirca ſolus Deus bonus eſſe dicitur; reliqua, ſi cum Deo conferantur, mala: quoniam quicquid boni in aliis cernitur, id illis a Deo communicatur: ſi quid mali verò eſt, ab ipſis creatis rebus eſt. ac quò res quæque magis a Dei natura abeſt, eò imperfectior eſt, atque deterior: quia minùs bonitatem ipſam participat. Vnde quò magis compoſita res eſt, eò magis diſtat a diuini numinis præſtantia, ſimplicis, ac nihil a ſe ipſo diſſimilis. Atque equidem in variarum, & diuerſarum rerum æternarum, & caducarum procreatione mirandum diuinæ mentis munus apparet: in qua multiformem eius ſapientiam infinitis, & miris modis elucentem cernimus: & dum rerum diſſolubilium naturas animo capimus, indiſſolubilium quoq; conditiones aduertimus, quæ in iſtis vitia ſunt, ab illis cogitatione remouentes. Itaque rerum vitia nos boni naturã edocent.

Pſal. 5.

Quæ mala peccatum hominis ſequuta ſint. *Cap. II.*

AT verò Deus hominem rectum creauerat, & multis donis, atque virtutibus ornauerat, & ſui iuris fecerat, & in paradiſo locauerat, ea lege, vt dum obediens

diens

diens diuinis præceptis foret, ſine vllo dolore, & egeſtate felicem, & beatam vitam ageret. Sed quoniam Deo non obediuit, dona, quæ ſupra naturæ ſuæ conditionem acceperat, amiſit, conſtantem cum ſumma iucunditate vitæ tranquillitatem, & cum maximarum rerum ſcientia immortalitatem. Itaque parentis noſtri peccatum deinceps in poſteris labor, dolor, atque interitus, & contra rationem præſens appetitus pugna cum multarum, ac maximarũ rerum ignoratione ſubſequuta ſunt; cùm ante illius peccatum, quod originale vocant, appetitus rationi obediens eſſet, atque animantes omnes hominis imperio parerent, neque vllius rei ſentiretur inopia, & mors, ac mortis comites labor, & dolor a noſtro genere ſingulari quodam, & diuino beneficio procul abeſſent. Paupertatem quoque, & ſeruitutem cum cognatis illis malis attulit hominum vitioſitas à primi parentis orta peccato. Nam auaritia, quæ erant lege naturæ communia, fecit propria: & dominandi libido vi, & armis alios alijs ſubiecit. Et quidem pro diuina ſua iuſtitia Deum ipſum decuit beneficentiam ſuam ab ingrato homine ſubtrahere, & peruerſitatem eius debitis pœnis afficere. quanquàm ita res humanas temperauit, vt omnes omnium adiumentis egerent, domini ſeruorum laboribus, ſerui dominorũ potentia, diuites pauperũ operis, pauperes diuitũ facultatibus: ſicque mutuis officijs, ac beneficijs humána ſocietas contineretur. Proin Theologi malum in pœnæ, & culpæ diuidunt. Malum culpæ dicunt eſſe crimen, atque delictum, quod committimus; quoniam nobis in culpa ponitur: malum pœnæ verò, quod culpæ pro ſupplicio rependitur. Illud de noſtra audacia, & prauitate prouenit; hoc de recto iudicio Dei. illud malum Deus minimè facit, a quo omne vitium, omniſq; prauitas abeſt: hoc Deus facit; vt culpam noſtram pro munere iuſtitiæ ſuæ mulctet. De quo in ſacris libris legitur, Non eſt malum in ciuitate, quod non faciat Deus. Amos. 3.

Deus. Et apud Esaiam Deus Ego sum, inquit, creās malum, & faciens bonum. Quare animi vitia sunt mala culpæ; reliqua mala sunt pœnæ, quæ pro peccatis infliguntur. Tum etiam ijdem Theologi diuinam voluntatē duplicem faciunt, alteram, quam absolutā nominant, qua Deus aliquid simpliciter vult; alteram, quam permittentē vocant, qua non repugnat quicpiam a nobis fieri: qua voluntate dicitur Deus flagitia velle, quatenus illa fieri permittit. neque enim vult potestatem actionum, quam homini liberam dedit, auferre. Quare nullam delicti culpam simpliciter vult, quæ contra suam dignitatem est: vult autem pœnam; quoniam diuinæ iustitiæ dignitas postulat culpam puniri. Quid igitur tibi mali est, quod à te ipso non sit? Porrò animi vitia, quæ præcipua mala sunt, nostræ sunt prauitates: reliqua verò mala nobis peccatum nostri parentis intulit. Sed tamen cùm hominum parens Adam peccando se, & genus suum perdidisset, hoc vtique singulare diuinæ pietatis opus fuit, Dei filium de cælo in terras venire, & humanam carnem assumere, vt suo sanguine peccata nostra deleret, atque è diaboli potestate nos eriperet, & Deo patri reconciliaret. At inquies, si deleuit suo sanguine peccatum, cur etiam peccati fomitem, & illecebram, ac mala, quæ peccatum comitantur, non sustulit? vt videlicet in pugna contra sensum & appetitum, atque in laborum, & dolorum, cæterorumque malorum tolerantia virtutem exercens maiore honore augereris, atque ampliora præmia consequereris. Et si baptismus, in quo elutis peccatorum omnium sordibus in cælestem vitam homo renascitur, omnem laborem, & dolorē nobis auferret, nemo vsquàm esset, qui non ad vndam baptismi perlubenter veniret, non quidem pietatis, & religionis veræ studio, sed præsentis vitæ amore, quam sine vllis malis, incommodisve traduceret. Sed neque vlla Christianæ fidei virtus esset, si sensibus approbaretur. Cap. 45.

Cur

Cur mali homines in mundo sint.
Cap. III.

AT cur homines malos, inquies, in vita Deus esse patitur sibi, & alijs odiosos? quia in magna domo
2 Tim. 2. (vt S. Paulus ait) decet quædam vasa esse ad honorem, quædã ad contumeliã. Est quoddã dicendi genus, quod græci ἀντίθετον, latini contrapositum, & contrarium appellant, cùm verba verbis, vt, Vicit pudorem libido, timorem audacia; vel sententiæ sententijs opponũtur, vt, Dominetur in concione, iaceat in iudicijs. quæ figura tum ornatiorem, tum dilucidiorem reddit orationem. Similiter in hac vniuersitate quædã res inter se contrariæ sunt, vt, dulces & amaræ, candidæ & atræ, calidæ & frigidæ, lenes & asperæ, leues & graues, raræ & densæ, molles & duræ, salutares & pestiferæ: quarum differentiæ mundum elegantiùs ornant, & proprias vires, atque naturas iunctæ planiùs indicant. Nã ex dulci amarũ gustus, ex candido atrum aspectus, ex calido frigidũ tactus meliùs diiudicat. Quamobrẽ Deus & ad exornandum opus suũ, & ad ostendendas rerũ naturas cõtraria, dissimiliaq; creauit. Itemq; malos cum bonis esse vult, & ad regni sui maiorẽ pulchritudinem, & ad hominũ perfe-
Eccl. 33. ctiorem eruditionem. Atque hoc verbis illis Ecclesiasticus dicere videtur, Contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic contra pium peccator: & sic intuere in omnia opera altissimi, bina & bina, vnum contra vnum. Ac porrò vt vmbra, quam ater color facit, loco posita picturam meliùs exprimit, sic improborum mali mores, proborum vitam insigniorem, & eminentiorem efficiũt. Neque si Deus bonas rerum naturas creat, etiam malas voluntates gignit. Malæ voluntates enim a nihilo sunt, & ab eorum peruersitate, & inanitate, quibus est libera potestas arbitrij. Et fas quidem fuisset Deo neque

angelos,

angelos, neque homines, quibus solis ex omnibus, quæ creauit, liberam voluntatem dedit, aut non creare, aut, ne peccarēt, efficere: sed diuini operis sui ratio, vt crearentur, & ius integrum actionum suarum haberent, exegit: cùm præsertim mundi gubernatio propter malas impiorũ voluntates nulla ex parte peruertenda foret, & ipse præuideret in quos bonos vsus opera malorum esset accommodaturus. Nisi enim præuidisset in quos bonos vsus vitam malorum accommodaret, nunquam (vt S. Augustinus sentit) eos creasset, quos malos esse præsciuit: ac satiùs fore iudicauit de malis benè facere, quàm nulla mala esse permittere. Elegit Apostolos duodecim, & vnus ex illis nequissimus extitit: verùm ipse perditissimi Apostoli opera dispositionem suæ mortis impleuit; quæ vitam omnibus attulit. Diaboli perniciosissima consilia, quibus sanctis viris obesse die, noctuque studet, in sanctorum virorum vtilitatem, & gloriam conuertit. quandoquidem eius tentationibus Sancti magis, ac magis ad pietatem, modestiam, & patientiam erudiuntur. Impiorum quoque hominum audacia virtutem piorum exercet; quos inerte otio Deus corrumpi non sinit, sed maiore gloria, & lætitia cumulare desiderat. Atq; vtrorumque piorum, inquam, & impiorum exempla ostendunt quòd homines sua culpa veram salutem amittunt; Dei verò gratia salui fiunt. & dum quid diuina gratia valeat, & quid dæmonum, hominumq; impietas, & superbia mereatur fit planum, Deus in sanctis suis mirabilis apparet; Diabolus verò cum suis asseclis teter, miser, & detestabilis cognoscitur. Ex quibus rerum anthitetis magna totius regni cælorum pulchritudo consurgit. Præterea Deus in hac vita scelestos homines ideo sustinet, vt non solum boni per ipsos in virtutum campo armis fortitudinis exerceantur, sed vt ipsi quoq; aliquando resipiscant, & ad bonam (vt dicitur) frugem se se recipiant. Quòd si Deus homines quoties peccant, puni-

Lib. 11. De Ciuit. Dei cap. 24.

ret, aut nullus, aut quàm paucissimi in hac vita reperirentur; quando iustus (vt scribitur) septies cadat in die. Prou.24. Sic poëta ille. Ouid.

Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore nullus erit.

Sed Deus quia (nam perfectæ virtutis est) maximè patiens, ac magni animi est, non statim ad vlciscendas suas, suorumque iniurias quauis de causa mouetur, sed peccatoris pœnitetiam expectat. An ignoras, inquit S. Paulus, scribens ad Romanos, quia bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum durititiem autem tuā thesaurizas tibi iram in die iræ. Atque vt flagellum Dei (vt S. Augustinus scribit) ad patientiam erudit bonos, De Ciuit.Dei lib.1. sic patientia Dei ad pœnitentiam inuitat malos. Ac sæpè euenit, vt ex malis boni, ex iniustis iusti, ex incontinētibus continentes euadant; & qui nobis impij, perditiq; videntur, Dei amici fiant, & cum sanctis æternam obeāt regni cælestis hæreditatem. Quare tandem si a me quæras cur Deus malos homines in hac vita sustineat, cum S. Augustino breuiter respōdebo, Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur; aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Hæc quippè Dei natura est ex malo semper boni aliquid elicere.

Respondetur Academicis, & Epicureis. *Cap. IIII.*

IAM Academicis, & Epicureis respondebimus: patetque ex his, quæ dicta sunt, responsio. Nam si vellent sacræ doctrinæ credere, intelligerent ob peccatum primi hominū parentis hæc mala humano generi euenisse, & quæ nobis parebant animantes, & deseruiebant res omnes, ab hominis imperio desciuisse, ac suam nobis operam, fructumq; negasse. Non enim æquū erat, vt

res

res cæteræ hominem ſequerentur, qui dominum omnium, & parentem deſeruiſſet. Sed quoniam hanc doctrinam non accipiunt, nec diuinis ſermonibus fidem habent, audiant Stoicorum reſponſionem, qui nullam rem eſſe aiunt tã peſtiferam, & venenatã, è qua non aliquem fructum perciperemus, ſi naturam eius, & propriam poteſtatem cognoſceremus: ſicut multarum rerum vtilitates experientia inuenimus: quæ non modò inutiles, ſed etiam nocentes habebantur. Omitto quod quæ quibuſdam obſunt, proſunt quibuſdam; vt ſerpentes ſunt eſca ciconiarum. Aut audiant Lactantium Firmianum, qui homini datam rationem, & ſapientiã ideo dicit, vt quoniam duplici, diuerſaque natura conſtaret, mortali, & immortali, vtranque cognoſceret, ac mala & bona diſcerneret. quippe ſapientia in diſcernendis bonis, malisque verſatur: quæ ſi nulla eſſent, nullum ſapientiæ munus cerneretur. Ideoque bona cum malis ſimul homini propoſita eſſe, vt ratio habeat, in quibus ſe, & vires ſuas exerceat. Vnde, vt ad Epicuri argumentum reſpondeamus, dicimus Deum potuiſſe, & poſſe res omnes nocentes tollere, aut eorum naturam nobis amicam efficere; non tamen velle, vt boni natura ex mali proprietate meliùs percipiatur: & hominis ratio materiam habeat, circa quam verſetur. Nec vlla res eſt tam immanis, & nocens, quam homo vel cauere, vel vincere ſua ſapientia non poſſit. Adde quod ad mundi pulchritudinem, vt ad orationis ornatum antithera, ſic bona, & mala pertinent: nihilque in mundo eſt tam deforme, & nocens, quod ad vniuerſi ordinem, & vtilitatem non faciat: quamuis Epicurus multa opera naturæ aut vt deformia, aut vt inutilia reprehendat. nec mirum, cũ ex atomis mundum temerè factum dixerit. Sed iſtorum omnis error ex eo prouenit, quòd putant hominem, ſi eius cauſa factus eſſet mundus, debere in hac vita eſſe beatum. Sed errant, quoniam eſt alius beatitudinis lo-

Lib.7.cap.4.

cus, in quem per bona opera, & malorum tolerantiam tendimus: quemq; animo videre non potuerunt ij, quorum mentes Christianæ fidei lumen non illustrauerat.

Cur prauis hominibus res secundæ eueniant. Cap. V.

SED vrgent præterea Epicurei, & cum illis pleriq;, qui in hac mortali, non in illa cælesti, & æterna vita felicitatem ponunt; sibive perfectam virtutem, & sapientiam arrogant; ac nobis obijciunt, si Deus humana curat, & æquus est, atq; æqua hominum factis præmia, & supplicia tribuit, cur bonis viris aduersæ res, contra malis secundæ cōtingunt? Quin etiam multi religionis

Cap. 12. veræ cultores dolent (vt apud Hieremiam) viam impiorum prosperari, & benè esse omnibus, qui præua-

Cap. 3. ricantur: atque illa verba, quæ propheta Malachias refert, indignanter, & temerè effutiunt. Vanus est qui seruit Deo. & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt. Sed quænam sunt isthæc bona, quibus improbi abundant? nonne fluxa, & caduca? & quæ hominis animum neq; rectè componere, neque explere vnquàm queunt? & corrumpi, & amitti possunt? neque possessores suos bonos faciunt, & a flagitiosis hominibus etiam possidentur? Vnde ne a philosophis quidem in bonis habita sunt. Verùm Deus vt ad se, in cuius ditione cuncta sunt posita, etiam res istas terrenas pertinere ostendat, eas quibusdam quandoque largitur, quibusdam denegat, tam pijs, quàm impijs. Ex quo vult etiam intelligamus non propter ista terrena bona, quæ etiam scelestis hominibus dantur, sed propter illa cælestia, quæ tantùm sanctis viris donantur,

numen

numen diuinum esse colendum. Quòd si propter ista caduca bona Deus coleretur, non pios, & modestos, sed auaros, & intemperantes nos religio efficeret. At isti homines felicitatem in his bonis ponunt, quæ ad animum nullo modo pertinent. Itaque non animi, sed bona corporis appetunt, & eam religionem contemnunt, a qua ista bona non sperantur. Qui verò veram religionem colunt, a bonis, quibus impij fruuntur, abhorrent. Nō bona huius seculi, quæ fluxa, & caduca sunt, sunt ea bona, quibus Deus immortalis sanctos viros, & sibi charos adornat; sed bona, quæ omnem beatam vitam in æternum tempus continēt, sunt illa cælestia, & immortalia; quæ præparauit Deus diligentibus se. huius verò vitæ commoda miserorum solatia sunt, nō præmia beatorum. Cùm autem huius vitæ commoda, & incommoda sint pijs, impijsque communia, docemur & illa bona non appetere, quæ habentur etiam ab impijs, & ista mala æquo animo ferre, quibus afficiuntur etiam pij. Etenim vsum tantum istarum bonarum, malarumque rerum decet attendere; quæ neque bonæ, neque malæ vi sua sunt. Et probi viri secundis rebus moderatè vtuntur, aduersas patienter ferunt; & quoniam ad Dei laudem, & honorem omnia, quæ sibi accidūt, referunt, ideo meliora bona recipiunt. improbi verò in neutris modum vllum tenentes extolluntur in secundis, deprimuntur in aduersis; & quoniam non Dei voluntatem, sed suam voluptatem sequuntur, idcirco tandem omnibus miserijs, & calamitatibus implicantur. An ne adhuc graue tibi videtur, quòd res secundæ malis hominibus eueniant? Vereor ne te magis alienorum bonorum mœror, quàm flagitiorum odium commoueat: & dum aliorum commodis inuides, & bona quæ accepisti a Deo non consideras, caue ne diuinorum beneficiorum immemor, & ingratus efficiaris. An nō licet Deo bona sua cui voluerit dare? tibi quam facit iniuriam? quid tibi eripit? quod

ius

ius detrahit? Sed & nescis an ij, quos tu malos esse reris, meliores te sint. cuius rei iudicium penès Deum esto, cui omnia clara, & præsentia sunt. Et pij, ac religiosi viri est de alijs meliùs, quàm de se ipso sentire. At sint mali: quis scit an aliquando boni fiant, & malos mores in bonos diuina gratia iuuante conuertant? Præterea bonum aliquod opus fortassè vel ipsi, vel eorum parentes aliquando fecerunt: cui quia merces æternæ gloriæ dari non debet, datur huius vitæ commodum aliquod fragile, & caducum: tu quasi nulla alia sint bona præter ista fluxa, & incerta, doles malorum hominum res prosperè procedere. Nec tibi videatur iniquum, quòd bonorum parentum ratione malis filijs in hac vita benè interdum sit: quia filius pars, & spes parentis est. Ac quando istorum terrenorum bonorum inter mortales constituti etiam sunt a Deo dispensatores, cur non potiùs dispensatores, quàm ipsum dominum accusas? Vides lenones, adulatores, parasitos charos, atque iucundos regibus, & ducibus esse, diuitijs augeri, honoribus affici, dignitatibus ornari, imperijs præfici: benè moratos homines verò, integros, & frugi, paruipendi, atque contemni. Vides insuper multos rapinis, & vsuris ditari, malis artibus dignitates adipisci: nec vocari ad honores a Deo, sed sese fraudulenter insinuare, nec in ouile per ostium, sed vt fures, & latrones per vetita loca ingredi. Vides quoque dignitates, & magistratus, &, quod dolendum magis est, res ipsas sacras vendi. Cur non potiùs igitur istorum improbitatem, & peruersitatem, quàm Dei prouidentiam incusas? At inquies cur Deus sinit esse malos dispensatores? vt diuinam scientiam ex humana ignorantia, & diuinam bonitatem ex humana improbitate cognoscas. Tandem tamen quandiu viget ista malorum hominum prosperitas? Vidi, inquit Dauid, impium superexaltatum, & (Psal. 36.) eleuatum, sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non

erat;

erat; quæſiui eum, & non inuentus eſt locus eius. Quin etiam ſæpe eadem proſperitas ipſis aut ignominiam, aut cruciatum aliquem, aut necem affert. Quot ſunt ob diuitias non modò ab alienis, verùm etiam a ſuis interfecti? Quot de ſupremo dignitatum gradu in exilium pulſi? quot ex aula regia in teterrimum carcerem coniecti? quot dignitatibus, & facultatibus ſpoliati, damnatique capite ſunt? & infeliciſſimi ex feliciſſimis effecti vitam turpiſſimè, ac miſerrimè finierũt? Sed & ij, quorum ſupplicia differri vides, quò tardiùs, eò etiam grauiùs puniuntur. Semper eſt metuenda lõga proſperitas; & quorum vitæ curſus totus ſecundus fuit, horum extitit miſerrimus exitus. Nullis vtor exemplis, quoniam huius generis exemplis plena ſunt omnia. Et vt ſceleſtibus hominibus ad extremum vſque vitæ curſum è ſententia cuncta ſuccedant, ſi cruciatus, quos poſt mortẽ ferent, cogitemus, nihil ſecũdis illorum rebus omnino inuidebimus; ſicuti Chriſtus nos illis nihil inuidere docet exẽplo diuitis Epulonis: quem narrat, cùm in vita iucundiſſimè vixiſſet, poſt mortem ingentibus flammis cruciari: Lazarum verò pauperrimum in patris Abrahæ ſinu ſempiternis lætitijs perfrui. Quamobrem (vt Dauid admonet) noli æmulari in eo, qui proſperatur, in homine faciente iniuſtitias. At imperfecti, & inſipientes homines dum pacem peccatorum vident, cogitationibus commouentur, ac propè labuntur, & concidunt; atque dicunt, Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo? Sed intrent in ſanctuarium Dei, & in peccatorũ nouiſſimis intelligant, cernent vtique in Ciuitate Dei imagines impiorum ad nihilum redactas: pijs verò ſempiternã felicitatem paratam. Vnde dicent, Adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo ſpem ſuam.

Luc. 16.

Pſal. 36.

Pſal. 72.

Cur

Cur bonis viris res aduersæ eueniant. *Cap. VI.*

AT contra doles bonis viris res aduersas accidere. Si de te ipso loqueris, vide ne te tui amor, qui cæcus est, dum tibi suauius blanditur, in errorem aliquem inducat; tibique persuadeat esse te ob insignem virtutem, & sapiẽtiam dignum, cui nihil aduersi eueniat, sed ad voluntatem omnia fluant. quod quidem est summæ arrogantiæ, ne dicam dementiæ. Sin non tuam, sed aliorum causam agis, primùm non omnes, qui tibi boni videntur, sunt boni. Plures equidem malunt videri, quàm esse boni: totque inter nos ficta, & simulata officia quotidie cernimus, vt fidem cuiquam adhibere timeamus. Deus solus, qui vnus corda hominum videt, quæ cuiusque virtus sit fucata, an syncera dignoscit. Quare si non sunt verè boni, sed falsi, non est dolendum. Deinde quis scit an sua, vel etiam parentum suorum culpa in ista mala egestatem, seruitutem, morbos deuenerint prodigalitate, temeritate, intemperantia? Tum vt malis filijs bonorum parentum ratione benè, sic bonis filijs a malis parentibus, sicut populo a malo principe malè interdum est. nam (vt suprà diximus) filius pars, & spes est parentum, sicut populus principis. Itaque parentum culpas vel corporis supplicio, vel fortunarum iactura
Exod. 20. interdum luunt. Sic de Deo scriptum est, Reddet peccata patrum in filios. Vnde dici solitum est Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt: quia in corporibus, aut fortunis filiorum quandoque malefacta quædam parentum puniuntur. quanquam nullum patris scelus, & turpitudo animum filij commaculat. quia non si corpus è corpore propagatur, etiam animus ex animo producitur; qui ex nulla materia
Ezech. 18. oritur, sed a Deo creatur. Ita filius iniquitatem pa-

tris

tris non portat. Postremò si boni sunt, maximis bonis ornati sunt, virtutibus inquam, quæ maxima, & (vt meliùs dicam) sola bona nominari, & haberi debent. quæ nimirum cætera bona tum splendore, tum amplitudine vincunt. Et si viri sancti in istis malis se putant esse felices, quòd virtutem meliùs capessant, & Deo magis placeant, cur tu illos habebis infelices? Si hinc cum virtutibus mala corporis, & externa, illinc cum vitijs bona corporis, & fortunæ starent, quas tu partes sequereris? Ergo proborum hominum, quibus maxima bona obtigerunt, etiam si in corporis, & fortunæ malis sint, optabilior conditio est, quàm improborum: quia licet bonis corporis, & externis affluant, tamen vitiorum maculis affectum, & notatum animum gerunt. Sed tamen cur bonis, & pijs viris ista, quæ tu vocas mala, eueniant, diligentiùs inquiramus. Inuenio autem huius rei plures causas. Prima, vt in hoc mundo calamitates, & miserias, non vllam felicitatem esse cognoscamus; quando sancti, & religiosi viri, qui præ cæteris beati esse deberent, multis damnis, malisque premantur. Altera, ne ab istis fluxis, & caducis bonis ad voluptates, & vitia abducantur. nam facile est homines ad voluptatem, & vitia natura procliues istis bonis corrumpi. Quod multorum exempla nos docent; qui terrenis bonis eneruati errauerunt a disciplina cælesti, & sancta legis vincula ruperunt. Ideoque res aduersæ magis optandæ sunt, quàm secundæ: quoniam in aduersis elatos spiritus cohibemus, & ad Deum confugimus. quare Dauid Bonum mihi, inquit Deo, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. secundæ res verò frequenter vnà cum insolentia obliuionem diuinorum officiorum adducunt. Hinc, quoniam in secunda fortuna extra se ipsum animus prodit, in aduersa verò se se contrahit, & secum est, difficiliùs est bonam fortunam ferre, quàm aduersam. Vnde res secundæ etiam sapientum animos fatigarunt;

Psal. 118.

N & Salo-

& Salomoni plùs prosperitas obfuit, quàm ipsa sapientia profuit. Quamobrem Deus pijs viris non dat ista terrena, fluxa, & caduca bona, ne humanarum rerum felicitate corrupti in luxuriam labantur; sed incommodis, & damnis vitam ipsorum afficit, vt eos incommodis, & contumelijs in virtutis, & pietatis studio retineat. Tertia causa est, vt eorum peccata castigentur, neque peiores, & deteriores fiant. Quare cùm vexamur malis, & premimur, tunc maximas gratias agere debemus optimo patri, quòd nos a peccandi licentia verberibus, & plagis retrahat, neque in grauiora scelera procurrere patiatur. Ex quo intelligimus nos amari a Deo, quia cùm peccamus nos corrigit. Ipse autem inquit, quos amo corrigo, & castigo. Quare illorum salus desperata videtur, quos, dum peccant, Deus non corripit: quoniam illorum curam nullam habere videtur. Rectè igitur Seneca, Deus homines pro liberis habet; sed corruptos, & vitiosos luxuriosè, ac delicatè patitur viuere; quia non putat emendatione sua dignos; bonos autem, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsũ virtutis exercet: neque eos caducis, & mortalibus bonis corrumpi, ac deprauari sinit. Quia igitur boni viri quispiam aliquando commisere, committuntue, ideò calamitate aliqua, & ærumna castigantur. Etenim vel diuitias huius seculi cupidiùs, quàm aduenas, & peregrinos decet, appetierunt; vel suæ laudi magis, quàm proximorum saluti seruierunt; vel aliorum peccatis plùs, quàm officium charitatis exigebat, conniuerunt, ideò damnis, ignominia, exilio, vinculis, alijsque pœnis, quæ certis flagitijs debentur, puniuntur: & quæ infirmi, & imperfecti homines sapientiæ studio non sunt assequuti, suis discunt experimentis. Sed & praui homines his terrenis malis puniuntur. verùm inter malos, & bonos in aduersis rebus hoc interest, quod isti emendantur; illi vt secundis rebus deprauãtur, sic minus corrigũtur aduersis; immo

Apoc. 3.

De Diuina Prouidentia.

mo etiam peiores euadunt; perinde vt eodem modo agitatum & cœnum malè, & vnguentuum benè olet. Praui enim homines, quia vel nullam pœnam mereri putant, aut, ſicut ſerui, volunt delinquere, & puniri nolunt, indignantur, dum quid patiuntur, neque in ſecundis, neque in aduerſis rebus modum vllum tenent. Itaque ſuis peccatorum funibus conſtringuntur; & ipſi parant ſibi mala, quæ patiuntur. Boni autem viri ſua delicta cognoſcunt, & maioribus ſe pœnis dignos eſſe fatentur; atque Deum vbique iuſtum, & miſericordem prædicant, orationem illam vſurpantes, Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas; quodque delictorum ſuorum pœnas dent in hoc ſeculo, gaudēt; vbi datur facultas miſericordiam a Deo conſequendi; non in futuro; vbi nullus eſt miſericordiæ locus. Quare vitam ſuam corrigunt, & in meliores mores conuertunt. nec Deus ab ipſis miſericordiam ſuam diſpergit; & pro toleratis patienter malis interdum bona reddit in hac luce ampliora, & poſt vitam cæleſte, & æternum præmium retribuit. Poſtrema cauſa, cur Deus pios viros incommodis, & detrimentis in hac vita afficiat, eſt, vt illorum virtutem tentet, quam alij imitentur, ipſe maiore præmio donet. Enimverò quiuis in ſecundis rebus apparere bonus poteſt; verùm in aduerſis non niſi qui re vera bonus eſt. Itaq; Diabolus Deo de Iob dixit, ideò virū bonū eſſe, quia nullis infortunijs tētaretur. Gubernator nauis in aduerſa tēpeſtate, miles in prælio, vir bonus in aduerſis rebus cognoſcitur. Quæ enim virtus eſſet, ſi nullis aduerſis rebus eius integritas, & conſtantia probaretur? Atq; vt bonus, & peritus imperator nō patitur milites ſuos inerte otio lāguere, ſed armatos, & ad pugnā inſtructos ſemper tenet, corrigitq; diſciplinā, & fidem, atq; virtutē experitur; ſic Deus ſuos ſemper vigiles, & paratos habet cōtra diabolos infenſiſſimos hoſtes; ipſorūq; fidē, & beneuolentiā multis modis varijsq; pertentat.

Marginal notes: Tob.3. (beside "tionem illam vſurpantes") · Iob.1. (beside "niſi qui re vera bonus eſt")

 Quod

Quòd non sint verè mala, quibus boni homines afficiuntur. Cap. VII.

NEC sunt tamen verè mala ista, quibus boni homines afficiuntur? Sũt enim in primis ægritudo, paupertas, & seruitus. Aegritudo est corporis vitium, quod tam malis, quàm bonis hominibus commune est. quãquàm diuites ob delicatã vitam, & intẽperantem in morbos frequentiùs incidunt, quàm pauperes. verùm in pijs viris corporis infirmitas mentem acuit, quia
2. Cor. 12. prauas sensuum motiones reprimit. quare cum S. Paulo gaudẽt in infirmitatibus: quia virtus in infirmitate perficitur. at homines impij, dum ægro corpore sunt, animo anguntur, quia voluptatibus frui nequeunt. Tum paupertas per se ipsa malum, sicut opulentia per se ipsa bonum non est; quia in vtraque benè, & malè, hoc est, cum virtute, & vitio viuitur. Nam quot pauperes flagitiosos, quot diuites studiosos videmus? Et si soli diuites boni essent, magnam improbitatis suæ pauperes excusationem haberent. Veruntamen si quis a me quæreret ad comparandam virtutem vtra potior sit, paupertas, an opulentia; sine vlla hæsitatione respondebo, virtutem a pauperibus faciliùs, quàm a diuitibus acquiri. semperq; plures pauperes, quàm diuites, & ingeniis, & doctrinis, & magnis operibus omnibus seculis excelluerũt: vt meritò paupertas a poëta illo dicta sit fœcunda virorũ. Tu ne paupertatem contemnes, quam omnes philosophi laudarunt, & omnes Christi discipuli amplexi sunt? quæque prima via est ad felicitatem? nam prima nos a curis secularibus, & inanibus cogitationibus liberat; tutus, & tranquillus solicitudinum portus. Hæc est comes temperantiæ, adiutrix philosophiæ, alumna virtutis; cupiditatem frænat, appetitum rationi subijcit, arrogantiam deprimit, iram cohibet: contra diuitiæ auaritiam

ritiam augent, intemperantiam fouent, spiritus attollunt, & vitiorum materiam subministrant. Et quotos diuites inuenies, qui non sint vel ipsi iniqui, vel iniquorum hæredes? Proinde non solùm Christianæ sapientiæ, sed etiam veteris philosophiæ studiosi, vt Socrates, Anaxagoras, Diogenes, diuitias contempserunt, ne illarum cura a virtutis studio retraherentur. Quarum equidem contemptio ad vitæ Christianæ perfectionem est necessaria, sicut ait Christus, Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Matth. 16. At tolerabiliorem esse dices paupertatem, quàm seruitutem. sed est etiam seruitus toleranda; quia nullo est ad virtutem, & veram gloriam impedimento; licet sit non a natura, cùm sit nemo natura seruus, sed a peccato inter homines inducta. Neque enim serui nomen in sacris libris legimus, antè quàm Noë malum filium bonorum Genes. 9. fratrum seruum esse iussit. Et si latinè à seruando hoc nomen ductum est, quòd seruos nominassent, qui in bello seruati essent, cùm omne bellum a peccato aliquo sit, non dubium, quin seruitutem peccatum induxerit. Quã deinde sapientissimus, & optimus Deus ad puniendum, & coërcendum peccatum ordinauit. Nihil tamen obstat, quò minùs boni simus in seruitute, quæ nos in maiore labore, & patietia corporis, & animi exercet. ac quantùm superbia dominantibus nocet, tantùm prodest humilitas seruientibus. Nec bonus seruus vllis mali domini vitijs inficitur: quin potiùs bono vitæ suæ exemplo malas illius corrigit, & coërcet cupiditates. Quòd si seruitus, vt malum, detestabilis esset, nunquàm S. Paulinus Nolanorum Episcopus seruitutem subijsset voluntariam pro mulieris viduæ captiuo filio, cùm pecuniam non haberet, qua illum è seruitute redimeret. At ignominiosum est seruire. ignominiosum quidem est seruire peccatis, non hominibus. nam vt verum decus virtutem, sic vera ignominia vitium, vt vmbra corpus in

insequitur. Et quidem bonus, etiam si seruit, liber est: malus verò, etiam si dominatur, seruus est, ac tot dominorum, quot peccatorum. Si enim quis eius seruus est, a quo vincitur, certè à quot peccatis vincimur, tot dominis seruire cogimur: ac pessimis quidem dominis, qui crudelissimè hominum mentes, animosque deuastant. Cęterum qui corporis seruitutem volũtaria morte effugerunt, ij non laudandi, vt fortes, sed vt impij, & imbecilles vituperandi sunt: quia necem sibi consciscere, ac diuinũq; ordinẽ perturbare fas est nemini. At verò in magistratu nõ esse, hoc non est esse miserum, immo etiã sæpè est recusandũ: quãdoquidẽ difficile est moderationẽ in imperio adhibere. Quamobrem si ægritudo, paupertas, seruitus non sunt mala, quoniam animi vitia non sunt; neque valetudo, neque opulentia, neque dominatus bona sunt, quia virtutes animi, & ornamenta non sunt. Et si mala corporis, & fortunæ nobis fugienda penitus sunt, malè Deus cum probis hominibus ageret, quos charos, & acceptos habens (sunt enim boni viri omnium opinione amici Dei) in his malis esse patitur. At stulti homines in his malis esse non erubescunt; quæ mentem hominis, animumq; corrumpunt; ea mala verò, quibus nemo fit malus, impensiùs horrent. Boni autem viri huius seculi bonis tanquàm non vtentes, vt aduenæ, & peregrini, vtuntur; nec dolent ea se non habere, quæ citò sunt relicturi: nec si illa casu aliquo amittunt, perturbantur, qui in bonis sola animi bona ducunt; quoniam vera, & propria hominis bona sunt, & amitti nulla hominum, aut temporum iniuria possunt.

2.Pet.2.

Ioan.8.

De Patientia. Cap. VIII.

AC quoniam virtus, si nullis aduersis rebus agitaretur, aut nulla esset, aut nulla cerneretur, vir bonus in turbidis rebus perficitur, atq; cognoscitur. Quare

re nō poteſt vir perfectus eſſe, qui nullis malis afficitur, in quibus virtutem exerceat. Quæ laudabilis malorum perpeſſio patientia nominatur: quæ virtus, vt philoſophi dixerunt, magni, & excelſi animi affectio eſt; vt S. Iacobus docuit, opus perfectum: quòd abſolutam totius virtutis rationem contineat. Hæc etenim propria, & digna viro virtus, a quo dicta eſt, omnibus vitijs opponitur. Hæc labores, & dolores mitigat: hæc turbatam, & iactatam mentem ad tranquillitatis portum reducit: hæc firmum, & conſtantem animum reddit, ne ab honeſto, & recto vllis incommodis, & iniurijs abducatur. Neque ego in patientiæ laudes digrediar, quam ſatis ab excellentiſsimis ingenijs laudatam ſcio: hoc tantùm vnum dicam, quòd hæc virtus Chriſtianis longè fructuoſior eſt, quàm philoſophis. Illi enim ſolo virtutis nomine delectati ſunt, qui extra ſpem cæleſtis immortalitatis poſiti, nullum fructum ex laborum dolorumque perpeſſione ceperunt, præter inanem quandam gloriam, cui nihil ſolidi ſubeſt. at Chriſtianorum labores, & calamitates Chriſtus in cælis quàm maximè optabili præmio remunerat. Sunt etenim mala propter Chriſtum perferenda, vt fructuoſa ſit patientia, quæ probationem, hoc eſt, peccatorum purgationem operetur. Nec ſolùm patientia, verùm etiam reliquæ virtutes omnes ſunt inanes, & nudæ ſine diuina gratia: quæ mentē noſtram, & animum informat. Et nobis quidem Chriſtianis patientia maximè neceſſaria eſt, quibus in æternam vitā per omnes labores, calamitates, & ærumnas ingrediendum eſt. quod Chriſtus nos præmonet, Qui vult venire inquiens poſt me, abneget ſemet ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ac patientiæ nobiliſſimum exemplum nobis Deus propoſuit Iob Huſſitem, virum perfectum, qui ex florentiſſima fortuna, in maximas miſerias incidit. nam ſemper omni perturbatione animi vacauit; ac ſe increpantibus quòd Deo benediceret, a

Cap. 1. Rom. 5. Matth. 16.

quo maximis, & innumeris malis afficeretur, sedato
Iob. 2. animo respondit, Si bona suscepimus de manu Dei, ma-
Iob. 1. la quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. meruitq; sua tolerantia post malorum perpessionem non modò cælestem felicitatem, sed etiã terrestrium rerum possessionem consequi ampliorem. Ita sanctorum virorum calamitates ipsis sunt lucro, nobis exemplo, quorum patientiam, & studia imitemur. Et quẽ vnquàm pium virũ in miserijs aliquando perire
Psal. 36. vidisti? Iunior fui, etenim senui, & non vidi, inquit Dauid, iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Sed esto pij viri spolientur bonis, iaceant in fœtore, constringantur vinculis, cędantur loris, afficiantur morte,
1. Pet. 4. cruciatu, cruce, dum non vt fures, & homicidæ pro delictis suis, sed pro iustitia, & Christi nomine ista patiantur, non ne eos felices potiùs, quàm miseros esse cẽsebimus? & illorum mortem magis, quàm vel Cęsaris imperium, vel Cręsi diuitias, vel Sardanapali voluptates optabimus? Nec dubito, quin si huius vitæ mala cum illius vitæ bonis rectè contuleris, leuissima esse iudicaueris, quæ in terris sancti viri pro diuina iustitia patiuntur.
Rom. 8. Quod S. Paulus confirmat, Non sunt, inquiens, condignæ passiones huius vitæ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et quò maiores sunt pro Christo la-
Cap. 1. bores; eò etiam erunt lætitiæ ingentiores. Vnde S. Iacobus, Omne gaudiũ, ait, existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis. & Apostoli, sicut monimen-
Act. 5. tis rerum ab ipsis gestarum proditum est, ibant gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et idem S. Paulus ad
2. Cor. 12. Corinthios de se scribit, Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. Honestam mortem ignominiosæ vitæ qui huius mundi gloriæ auidi sunt antepo-
nunt:

nunt;nos qui ducem Christum sequimur, immortalitatem mortalitati, & æterna bona caducis non anteponemus?

De singulari Dei iustitia. Cap IX.

AT tandem vniuersam diuinæ iustitiæ rationem, quãtum in nobis situm est, contemplemur. nam quis diuina consilia humana mente percipiat? Primùm si omnia bona sunt Dei, quippè quorum est author, & dominus, non ne potest illa cui voluerit sine vllius offensione donare? Nulli enim facit iniuriam; quia nihil cuiquàm eripit, nec quicquàm de cuiusquàm possessione detrahit. Quare nihil tibi causæ est, cur de Deo conqueraris, quòd quæ tibi dare noluit, alijs largiatur. Nam in quod bonorum obsecro ius vllum a te habes? aut quid nobis a nobis cum Deo iuris esse potest, cùm per se nulla sit homini cum Deo communitas? Tum si vni bòna omnia dari ne tu quidem æquum ducis, cur vis tibi donari omnia? vel doles pios viros carere bonis externis, qui bonis animi potiuntur? Quin immo Deus benignissimus, & munificentissimus dominus plura singulis tribuit, quàm mereantur. Idem etiam, quia æquissimus iudex est, nullum nostrum facinus aut inultum relinquit, si malum; aut mercede non explet, si bonum est. Nec decipi vlla in re potest; nempè in quem neque ignoratio cadit, cui aperta sunt omnia; nec perturbatio, qui optimus est, nullius egens, omnibus benè cupiens. Oportet autem nostrarum actionum eum iudicem esse, qui nobis quæ facienda, quæ negligenda essent præcepit lege, quam tum in animis nostris, tum in tabulis inscripsit. Nec actiones nostras Deus ex ipsis rebus, aut euentis, sed ex cuiusque animo, propositoque perpendit. Et nostrarum actionum quasdam humana tantùm ratio temperat; quasdam cælestis gratia conformat, quam Deus

per Iesu Christi filij sui fidem in nostris mentibus infun dit. Et bonorum quædam æterna sunt, quæ semper manent, vt cælestia, & diuina; quædam fluxa, & mobilia, vt sunt mortalia, & terrena. Itemque malorum quædam perpetua sunt, quorum nullus est finis; quædam (vt ita dicam) temporalia, quæ ad certum tempus durant. atq; vt stabilia præponenda sunt mobilibus, sic æterna bona sunt magis metuenda, quàm tẽporalia. Cõfer nũc actiones nostras cũ bonis, malisue, quæ nobis pro ipsis rependuntur, singularem Dei iustitiã animaduertes. Nã actiones bonas, quas tãtùm humana ratio moderatur, humanis, terrenisue bonis remunerat, diuitijs, honoribus, dignitatibus, & his similibus; actiones verò, quas cælestis gratia instituit, cælestibus, & æternis donis afficit, immortali gloria, diuinæ lucis aspectu, sempiternæ felicitatis fructu. Pariterq; peccata, quæ venialia dicũtur, quòd digna sint venia, quia diuinam gratiam, quæ vita est animæ, non extinguunt, pœnis temporalibus mulctat, quædam in hoc seculo, quædam in alio, in purgationis loco, vbi peccatorum sordes eluuntur. at peccata mortalia, quæ diuinæ dignitati maximè contraria mortem animæ inferũt, si non eorũ culpas vt rex deprecantibus remiserit, æternis supplicijs punit. Quamobrem non omnes omnium actiones in hac lucis vsura, sed quædam post mortem in alio seculo meritis pœnis, aut præmijs afficiuntur. Quòd verò quidam in hac vita mulctentur, aut remunerẽtur, argumentum est diuinæ prouidentiæ, atq; iustitiæ. eiusdemque prouidentiæ, & iustitiæ signum est, quòd quidam nec puniti, nec remunerati è vita discedant. Ex hoc conijci potest aliud esse post mortem diuini iudicij tempus, in quod omnia reseruantur. Cæterùm peccatorũ pœna vocatur ira Dei; quia humanum affectum Deo tribuere solemus ex his, quæ efficit, vt res diuinas meliùs intelligamus. Effecta autem inter nos ex suis quæque animi affectibus proficiscuntur. Quare non

dicitur

dicitur irasci Deus, quoniam vllo animi affectu perturbatur: sed quia pœnam infert, quam ab irato inferri videmus. Neque ideò non erit bonus, & quietus Deus (vt vult Epicurus) quia malos punit. nam hoc iustitiæ præcipuum munus est: & omnis animi perturbatio longè abest a Deo. Cumque Deus in peccantem statim non animaduertit, pro sua benignitate, atque clementia pœnitentiam illius postulat, & requirit. cùm verò punit, tum iustitiam, tum misericordiam suam ostendit, vt resipiscamus, & ex via, quæ nos in interitum ducit, ad vitæ, & salutis nostræ fontem aliquando regrediamur. quanquàm interdum quædã scelera cõmittuntur ita fœda, & grauia, vt diuina scriptura dicat ea clamare, & clamorem ad cælum attollere, & diuinas aures obtundere, ac Deum ad sumendum supplicium vel quasi dormientem excitare, vel quasi tunc nolentem impellere. Atque vt non omnibus peccatis supplicia, sic neque omnibus benefactis præmia in hoc seculo redduntur: cùm præsertim virtuti nulla merces æqua reddi possit. quod ipsi philosophi testati sunt. Nec dices virtutem esse se ipsa contentam. nam quo modo potest beatam vitam efficere, quæ semper in laboribus, doloribusq; versatur? Aliã igitur mercedem virtutis præter ipsam virtutem, videlicet diuinam gloriam desideramus, & a Deo in cælis per diuinorũ oraculorum fidem speramus. Quam mercedem quia philosophi non cognouerunt, sed humanas laudes, & inanem quandam gloriam expetiuerunt, hãc receperunt, illam veram, & perpetuam amiserunt; nos Christiani maximè expectamus; quorum alioquin vita sine hac spe gloriæ cælestis omnium mortalium miserrima foret: quia pro Christo labores omnes suscipere, ac dolores omnes, & cruciatus perferre iubemur. Sciteque S. Augustinus se in Epicuri partes concessurum dixit, ni virtutis mercedem a Deo post mortem expectaret, ipsam cælestem felicitatem. Cum igitur

philoſophi nullam æquam mercedem virtutis in hac vita eſſe cernerent, aliam poſt hanc vitam fore conijcere potuiſſent; quam poëtæ ſuſpicati fuerant: qui inferna loca ſceleſtis, & fortunatas ſedes pijs viris poſt mortem deſtinatas confinxerant. Etenim quia labori merces, & virtuti præmium debetur: in hoc autem vitæ curriculo nullum virtuti par pręmium dari poteſt, ac ſæpe nullum datur: tum etiam quia ſcelerati homines nullas aliquãdo ſuorum flagitiorum pœnas, aut leues, nec ſuis facinoribus dignas luunt, ne iniuſtitiæ nomine Deus argueretur, quòd nec virtutes præmijs, nec vitia pœnis æquis afficeret, cenſendum erat poſt huius vitæ curſum locum aliquem alium eſſe, in quo Deus benefactis pręmia, malefactis merita ſupplicia tribuat. Id quòd Plutarchus agnouit: qui in eo libro, quem De ſera numinis vindicta ſcripſit, apertè dixit conſonum eſſe quòd malis, & bonis hominum facinoribus debita poſt mortem præmia, & ſupplicia conſtituta ſint. Atque etiam deinceps ſuſpicari corporum reſurectionem quodam modo poterant: quoniam quia corpus animæ ſocium facinorum fuerat, eſſet quoque futurum lætitiarum eius particeps, aut dolorum.

Quòd iudicia Dei ſint occulta, & De die Iudicij. Cap. X.

SED mihi iam videor ſatis ad hanc quæſtionem reſpondiſſe, qua quæſitum eſt, cur malis hominibus ſecundæ, contra bonis aduerſæ res eueniant. Et Eccleſiaſtes te monet, ne dicas non eſſe prouidentiam, ne forte iratus Deus contra ſermones tuos diſſipet cuncta opera manuũ tuarum. Nec ſanè velim a me quiſquàm ſingulorum euentuum rationes exquirat. Equidem fateor nec me, nec mortalium quenquàm illas exprimere, atque indagare poſſe. Nam quis hominum in hoc te-

Cap. 5.

nebroſo

nebroso corporis inclusus ergastulo diuinæ, & infinitæ mentis consilia, quæ ne ipsis quidem angelis fas est percipere, scrutari se posse confidat? Sunt iudicia Dei, sicut sacræ literæ prædicant, abyssus multa: neque eius consilia (vt S. Paulus testatur) comprehendi, nec inuestigari viæ possunt; quæ infinitis interuallis a nobis distāt. Illa porrò iudicia manifesta sunt, quæ Deus ipse significauit, vt propter infanda hominum scelera terrarū eluuio; quædam cum sanctis viris piè conijcere licet, vt Danielis, & Hieremiæ captiuitatē, vt nimirum fratres suos in seruitute solarentur, & religionis veræ documentis, atque exemplis ad pietatem, & patientiam cohortarentur: quæ verò nec Deus enunciauit, nec sancti viri cōiectura perspexerunt, ea in diuina mente recondita manent. Et de diuina voluntate curiosiùs ab homine inquirendum non esse Christus nos docuit, cùm quærenti Petro quid de Ioanne futurum esset respondit, Quid ad te? tu me sequere. Rectéque nos S. Paulus commonet, ne plùs sapiamus, quàm oportet sapere. Nec tamen quia Dei consilia nos latent, quæ in occulto sunt, ideò censeri debēt iniqua; cum omnis iniquitas absit á Deo. verum vbi diuinam iustitiam intelligentia per nos ipsi non assequimur, sacris, & salutaribus literis instructi credamus Deum omnia, quæ facit, in vero iudico facere: neque iniustam eius clementiam, neque importunam esse sæuitiam. Cæterùm dies veniet, quò Deus vniuersos homines ante conspectum suum in iudicio constituet, ac rationes singulas eorum, quæ fecit, omnibus aperiet, ac suam incredibilem æquitatem ostendet: docebitque cur illorum vitam commodis, horum incommodis affecerit, ac quædam peccata punierit, quædam impunita reliquerit; quædam etiam benefacta remunerauerit, quædā in cælis remuneranda seruauerit: ac palam faciet bona, quæ diligentibus se pręparauit, non esse hæc terrena, & caduca, sed illa cælestia, & immortalia

Psal. 35.
Rom. 11.
Ioan. 21.
Rom. 12.
2. Cor. 5.

Esa. 64. lia, quæ nullus sensus attingere, nullaque hominis cogitatio comprehendere potest. Tunc nullus erit imperitorum querelis locus, cur illis bona, his mala eueniant: & sicut moribus, & vita dissimiles fuerunt, sic æquissimo iudicio pij ab impijs separabuntur: hos æterna, & omnibus lætitijs cumulata felicitas, illos summa infelicitas in perpetuum excipiet. Itaque claré potentissimus, sapientissimus, æquissimus a bonis incredibili cum gaudio, a malis ingenti suo cum malo, & dolore noscetur. Quapropter nos Deus iubet diem iudicij expectare.
1. Cor. 4. re. Noli igitur ante diuinum de hominum vitis iudicium iudicare; sed tempus expecta, quo abscondita tenebrarum illuminabuntur: quia tunc erit cuique laus a Deo. Sed vt paucis totam disputationem de diuina prouidentia concludamus, cùm Deus sit mens simplex, virtutem habens infinitam, means per omnia; cuncta cognoscens, amans præ cæteris animantibus hominem, cuius causa mundum creauit, dubitandum non est, quin ipse vniuersa, quæ fecit, summo consilio, ac sine labore gubernet, atque humanis rebus maximè prospiciat.

LAVS DEO.

Errata quædam ſic corrigito.

Fol. 11. igentia. ingentia.
16. obiciatur. obijciatur.
18. θεός. θεὸς.
21. ornaru. ornatu.
ibid. opportunitates, quos. quas.
40. res mouet. tates mouet.
66. ordinaoni. ordinationi.
68. Neq; enim ſolũ. Neq; ſolũ.
97. Poſtemo. Poſtremo.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O.

Omnia sunt folia.

R O M Æ,
Apud Franciscum Zannettum.
M. D. LXXXVIII.